De Rhotacismo.

Commentatio Philologa
a Carolo Joret.

From Prof. Walter
Jan. 7, 1891

DE RHOTACISMO

IN INDOEUROPAEIS AC POTISSIMUM IN GERMANICIS LINGUIS.

COMMENTATIO PHILOLOGA

A

CAROLO JORET
PRO LITTERARUM FACULTATE IN SORBONA TUENDA.

PARISIIS
APUD BIBLIOPOLAM A. FRANCK
(F. VIEWEG)
VIA RICHELIEU, 67
1875

DE RHOTACISMO

DE RHOTACISMO

IN INDOEUROPAEIS AC POTISSIMUM IN GERMANICIS LINGUIS.

COMMENTATIO PHILOLOGA

A

CAROLO JORET

PRO LITTERARUM FACULTATE IN SORBONA TUENDA.

PARISIIS

APUD BIBLIOPOLAM A. FRANCK

(F. VIEWEG)

VIA RICHELIEU, 67

1875

ERUDITISSIMO VIRO

ÆMILIO EGGER

INSCRIPTIONUM ET HUMANIORUM LITTERARUM ACADEMIAE

SOCIO ORDINARIO

HOC OPUSCULUM DISCIPULUS

DICABAT

ADDENDA AC EMENDANDA.

P. 5. l. 2	excepta	lege	excepto
Id. n. 1, l. 2	*svaihra*		*svaihro*
Id. id. l. 3	ἰχυρός	—	ἰχυρά
8, l. 13	consuedo	—	consuetudo
9, l. 8	Lisystrata	—	Lysistrata
11, n. 2,	*chifflar*	—	*chiflar*
13, l. 1	*Veturi*us	—	*Veturius*

30, Adde n. 4. Notandum est in vulgari Ruthenorum eloquio *r* contra in *d* mutari, ut *maide*, *paide* pro *maire*, *paire*. — *Revue des langues rom.*, III, 354.

33, Non credo *merle* pro *masle* vere dici posse, igitur nota 1 est tollenda.

33, l. 3, *Ermenda*, Esmenda lege *ermenda*, esmenda

Id. post l. 5 Adde ut quoque ante *d* :

	Montdardier	juxta	Mons Des(i)derius, *Gard*
Ante *n* :	*Arnave*	pro	Asnava
	dirnatz	—	disnatz Rayn. *Lex.*
Ante *l* :	*Vidourle*		Vitus(u)lus *Hér.*
	yrla	pro	ysla *Thal. parv.* 151

33, post. l. 13 *plarens* (placentes) Bartsch, *Denkm.* 271, 6.
raron (rationem) Id. Id. 275, 25.
veren (videndo) Id. Id. 274, 8, etc.

Item in *Thalamo parvo Monspessulano* :
corida, p. 291, pro cozida
falseras, 293, — falsezas
jurizis 258, *jurizes* 256, — juzizis (judicium)

Ut quoque in *Libre de Memorias* Biderensi, a Jacobo Mascaro seculo XIV scripto :

a *remprar*	p. 119	(1381)	pro	ademprar, azemprar
caret	131	(1386)	—	cazet (cecidit)
dirie	76	(1351)	—	dizie (dicebat)
farens	97	(1368)	—	fazens (facientes)
faria	134	(1384)	—	fazia (faciebat)
feres	76	(1351)	—	fezes (fecisset)
marel	109	(1379)	—	mazel (macellum)
oberi(r)	85	(1358)		obezir (obedire)
querel	104	(1373)	—	quez el
seyre	127	(1381)	—	seyze
sor (?)	135	(1384)	—	sos

Reperitur quoque in quibusdam locorum nominibus, ut :

Balaruc, juxta	Balazuc 1146, Bazalucum 1120,	*Dict. top. Hér.*
Berange,	Fluvius Besangue 1123,	id.
Boisseron,	Boissezon, Castrum de Boisedono 1168,	id.
Montauberon,	Montarbezon 1183,	id.
Mouran,	Mosan 1207,	id.
Pourols,	Mansus de Pozolis 1270,	id.
Sauret,	Sauzetum 1272,	id.

P. 34, post. l. 8, adde : Reperitur quoque in quibusdam locorum nominibus, ut :

Baroche (Moselle) juxta Bazoche (Orne)

Id. post. l. 19. Reperitur quoque in Burgundiæ regione quam Icauna permeat, ac etiam in quibusdam Provinciæ dialectis, ut apud Mascarum :

aguezo 116, *aguezon* 117 (1381)	pro	aguero(n)
anezon 127 (1384)	—	anezon, etc.
gizar 139 (1389)	—	girar
requesi 134 (1387)	—	requerir
tornezon 116 (1381)	—	torneron

Atque in *Thalamo parvo* :

vez inoza 87,	—	verinoza

Item in quibusdam locorum nominibus :

La *Mazette* (H.) 1856	juxta	La Marette (1840)
Mourezes (G.) Morese (1218)	—	Moreriæ (1347)
Pesan	—	Peranum (1440)
Pepezuc	—	P. Peruc, *Lib. m.*
Salaison, *Salazon* (1625)	—	Salaron (996)
Sauzet (G.)	-	Sauretum (1384)

P. 35, l. 13 (diver)sibus	lege	(diver)sis
47, 27 Participium præteriti		Participii præteritum
54, l. 4 *su*	—	su
58, l. 17 generen	—	genesen.

EMENDANDA.

P. 5, n. 1, l. 2	*svaihra*	lege	*svaihro*
Id. id. l. 3	ἐχυρός	—	ἐχυρά
P. 11, n. 2	*chifflar*	—	*chiflar*
P. 33, n. 1, l. 2	*c'est un beau*	—	*ch'est un biau*
P. 34, ult. lin.	vetus	—	vetustior

PRAEFATIO.

Una e maximè notandis sonorum permutationibus, quae in linguis indoeuropaeis occurrunt, litterae *s* in *r* transitio est; attamen non hac mutatione sola spirans *s* adulteratur, ea enim littera, ne de casibus, in quibus excidit, loquar, potest etiam :

1° vel in ǯ (*ch*) transire, quod in vetustiore sanscrita, persica, slavica atque in recentiore teutonica lingua occurrit, ut :

scr. *ai-ǯi* (*īs*) juxta	gr. εἶ-ς
pers. *k̄iǯ* (dare)	*kōist* (dabat)
slav. *ǯiv-a*	lat. *su-o,* got. *siu-ja*
teut. *schlafen*	got. *slepan*

2° vel in aspirationem (*h*,ᶜ) mutari, quod in vetustiore Persica graecaque lingua invenitur, ut :

pers. *haptan*	gr. ἑπτα juxta	scr. *saptan*	lat. *septem*
pers. *had-*	gr. ἑδ-	scr. *sad-*	lat. *sed*(ere)[1]

Litterae *s* in *r* mutatio potissimum in italicis germanicisque sermonibus reperitur, sed sanscrita lingua et dialecti graecae etiam aliquot ejusdem exempla ostendunt; simili modo quanquam

1. Cf. Schleicher, ***Compendium der vergleichenden Grammatik der indogermanischen Sprachen,*** 2e ed., 176, 194, 217. — R. Westphal, ***Philosophisch-historische Grammatik der deutschen Sprache,*** p. 78.

slavicae linguae *s* plerumque servant, haec littera tamen in iisdem in *š* sonum concrescere potest; non aliter quanquam in celtico sermone *s* persaepe perstat, inter duas vocales non raro in aspirationem transit. Nihilominus si has sonorum depravationes, quae rarius apparent, omittamus, agnoscetur in quaque indo-europaearum linguarum fere semper litteram *s* quodam modo adulteratam fuisse, qui cum cujusque earum ingenio vel indole, vocisque organis populorum, qui his utuntur, congruit. Qua autem ratione diversae hujus spirantis mutationes sunt explicandae?

Spirantis *s* in *š* depravatio simplicissima est; ut enim e primo sono in alterum transeas, satis est ut extrema linguae ora non dentibus aut gengivis, sed medio palato propius accedat, ubi ad litteram *t* cerebralem informandam eidem propinquat[1]; itaque intelligitur quam facile in loco *s* spirans *š* emitti possit, quod, ut in lingua sanscrita, post *k* vel *r* gutturales vel palatales fit.

Primum difficilius explicare videtur quomodo littera *s* in aspirationem transire possit; attamen si notaveris hoc aspirationis proprium esse, linguam, quum ea auditur, palato vel dentibus tantum ita accedere, ut, dum aer exspiratur, non eas partes attingat, quum, in spirantium *j*, *s*, *v*, vel *f* formatione, lingua palato dentibusque ita appropinquet, ut articulatio efficiatur, clarè apparebit, in spirantium loco *h* facile emitti posse. Sic in hispanica lingua aspiratio, quae hodie vix auditur, sed antea aures acriter feriebat, in spirantis labialis *f* locum substituta est, ut :

hisp. *hierro* lat. *ferrum*
ut quoque hisp. *hielo* lat. *gelu*

— quod etiam *yelo* scribitur, *h* littera in *jot* mutata; — sic quoque spirans dentalis e *ti* vel *c* mutatis orta

in catal. *raho* lat. *rationem*
atque in wall. *damihele* lat. **dominicellam*

in *h* transit[2].

Quomodo *s* in *r* transeat, tam facile explicari potest. Primum autem est notandum duas *r* litterae species, dentalem dico et gutturalem, esse. Ut primam edas, lingua in ea positione est locanda, in qua *t* dentalis effertur, id est, ita ut extrema ejusdem ora radici dentium vicina sit, his tamen non prorsus admota.

1. Brücke, *Grundzüge der Physiologie der Sprachlaute*, 36.
2. Cf. Brücke, id. 7 et 30. — C. Joret, *Du C dans les langues romanes*, liv. II, ch. IX.

Tunc si lingua vibrat, dum aer e pulmonibus expellitur, *r* dentalis profertur; si contra lingua immota manet, *s* sonus auditur; itaque transitio unius soni in alterum, organo quod eum producit mutato, efficitur. Attamen quum *s* litterae in *r* mutatio, quae primum dentalis sit oportet, effecta fuerit, haec littera postea in *r* gutturalem transire potest; ad id enim impetrandum satis est ut extrema linguae ora non dentium radici, sed ejusdem pars media medio palato accedat, quo in loco *k* sonus effertur [1]. Sed necesse est ut *s* littera in *r* dentalem primum transeat, antequam in *r* gutturalem mutetur. Quamobrem mea sententia *s* tantum in his linguis in *r* transire potuit, in quibus *r* primi generis littera, id est *r* dentalis, occurrit, ac mutatio litterae *s* in *r* oportuit in his eodem tempore statim desineret, quo qualicumque e causa *r* dentalis in eisdem jam non fuit. Altera conditio etiam necessaria fuisse videtur, ut *s* in *r* transiret, si *s* prius sonora fuerit facta. Videbimus enim *z* gothicam, quae *s* litterae sonora est, caeteris in germanicis linguis in *r* mutatam fuisse; non aliter latina in lingua inter duas vocales, quo in loco sonora fit, atque etiam in osca dialecto *z* littera notatur, *s* in *r* mutata est, quum pro consonanti surda, ubi quoque surda est, haec transitio non effici possit.

In omnibus indoeuropaeis linguis rhotacismus non usurpatur; in lithuanica enim *s* non mutatur; atque si in persico, slavico, celticoque sermonibus non semper perstat, in alium sonum, — *š*, *ç*, *h*, *ṅh*, *ṅh* in persico; *š*, *h* (*ch*) in slavico; *h* in celtico — nunquam autem in *r* vertitur; ut :

pers. *aē-šō* (hic) pro **ai-sās*	cf. got. *sa*
id. *açti*	scr. *asti*, lat. *est*
id. *ahmi*	scr. *asmi*, lat. *sum* pro **esum*
id. *aṅhen* (essent)	scr. *āsan*
slav. *šiva*	got. *siu-ja*, lat. *suo*
id. *snŭcha* (nurus)	scr. *snušā* pro **snusā*
celt. *ó* (auris)	lit. *ausis*, got. *auso* [2].

Non ita in caeteris indoeuropaeae familiae linguis: nam etsi in sanscrita *s* extrema perstat, in *ç* vel in aspirationem mutatur, in *r* etiam nonnunquam transit; non aliter quanquam σ in graeca lingua permanet, in aspirationem mutatur vel excidit, in quibusdam dialectis quoque in ρ vertitur. Attamen in his duobus idiomatibus mutatio *s* litterae in *r* raro reperitur; contra in italicis atque

1. Brücke, id. 38, 42 et 49.
2. Cf. Schleicher, id. 193, 195, 284, 296, 305.

in germanicis dialectis haec spirantis depravatio vulgo obtinet ac certas leges sequitur [1]. Quamobrem in rhotacismi inquisitione de qua agitur separatim de hac soni mutatione loquar, ac singillatim perpendam, quae in sanscrita atque in graeca lingua, dein in italicis dialectis, tandem in germanicis sermonibus fuerit.

1. Fr. Bopp, *Grammaire comparée des langues indoeuropéennes* (tr. Bréal), I, 65.

CAPUT PRIMUM.

DE RHOTACISMO IN SANSCRITA LINGUA ATQUE IN GRAECIS DIALECTIS.

DE RHOTACISMO IN SANSCRITA LINGUA.

Quum verbi principalis est, *s* in sanscrita lingua semper perstat, — excepta forsan vocabulo *šaš* (sex) in quo in *š* mutatur [1], — ut

saptan lat. *septem*, got. *sibun*
svasar lat. *soror*, teut. *swester*.

In mediis autem vocabulis *s* perstat post vocalem *a* atque ante et post consonantes *p* et *t*, ut :

as-ti (est) et *at-si* (com-edis).

Sed post consonantes *k*, *r* et vocales *u* et *i* atque ante plurimas consonantes *s* media in *š* transit, ut :

vak-ši (loqueris), juxta *kšipa-si* (conjicis)
dhanuš-mat (arcitenens) è *dhanus* et *mat*.

In extremis vocabulis, *s*, quum vocalis alia atque *ă* brevis vel *ā* longa anteit, tantum pro surdis lingualibus ac dentalibus perstare potest, ut :

kavis tudati : poeta vexat.

Pro surdis palatalibus spirans quoque permanet, in *ç* tamen versa, ut :

aviç karati : ovis it.

Pro surdis autem gutturalibus in visarga, id est in aspirationem, mutatur, ut :

1. Cf. Schleicher, id. 176. — Per assimilationem cum sequenti *ç* reperitur quoque *ç* pro *s* principali in *çvaçrū-s* pro **svaçura-*, got. *svaihra*, gr. ἑκυρός, lat. *socrus*. Occurrit etiam *ç* pro *s* in *çuška* (siccus) pro *suska*, lit. *saúsa-s*.

kaviḣ karōti : poeta facit.

Sed pro sonoris cujusque generis, nasalibus, semi-vocalibus *y*, *l*, *h*, vocalibus, *s*, si *a* non anteit in *r* transit, ut :

kavir darçayati : poeta exhibet
kavir gaḱḱhati : poeta it
kavir nandati : poeta gaudet
kavir yaǵati : poeta sacrificat
kavir lasati : poeta ludit
kavir asti : poeta est[1].

Videmus ergo in hoc idiomate *s* extremam quodam modo ineunti sequentis vocabuli litterae assimilatam fuisse, quae assimilatio sine dubio inde orta est quod, quum *s* in litterarum sanscritarum serie surda sit, pro sonora in sonoram ejusdem speciei transire oportuit, quae ei simillima esset; sed quum in sanscrita lingua nulla dentalis exstet spirans, quae sonora sit, *r* tremula in locum spirantis *s* sufficienda fuit.

DE RHOTACISMO IN GRAECIS DIALECTIS.

σ vel principale vel medium ante surdam plerumque perstat, sicut σ extremum[2], ut :

στορ-έννυμι cf. rad. scr. *star-*, lat. *sterno*
ἐσ-τί scr. *as-ti*, lat. *est*
μένος scr. *manas*, lat. *mens*.

Ante ν et ρ autem σ principale excidit[3], ut :

νυός (nurus) cf. scr. *snušā*, teut. *snur*
rad. ῥυ in ῥέω rad. scr. *sru*, teut. *s(t)rom*.

In conjunctione *sv*, σ quoque excidit et *v* in spiritum asperum mutatur[4], ut :

ὕπνος cf. scr. *svapnas*, lat. *somnus* pro **sopnus*.

1. Cf. Schleicher, id. 176. — Fr. Bopp, *Kritische Grammatik der Sanskrita Sprache*, p. 34, 36, 49. — Fr. Baudry, *Grammaire comparée des langues classiques*, p. 169. — Id., *Grammaire sanscrite*, p. 6.

2. In prima autem activi persona plurali σ extremum in plerisque dialectis in μ mutatur :

φέρ-ομεν dor. φέρομες lat. *fer-imus* scr. *bhar-āmas*.

Eadem mutatio reperitur in vetustioribus casibus, qui in -φιν desinunt, ut : ναῦ-φιν scr. *nāu-bhis*.

3. σ excidit quoque ante τ in ταῦρος, scr. *sthūrás*, got. *stiur ;* excidit autem vel perstat in τέγος juxta στέγος, lit. *stógas*.

4. Attamen σ conjunctionis *sv* in σιγάω — juxta teut. *swīgen*, — *v* tamen extrita, perstitisse videtur, sicut in σελήνη, rad. *svar* (lucere), juxta ἑλάνη (fax).

Ante vocalem σ, quum vocabuli principale est, plerumque etiam in spiritum asperum vertitur[1], ut :

ἕζομαι cf. scr. *sad-*, lat. *sed-eo*
ἑπτά scr. *saptan-*, lat. *septem*, etc.

Sed hic quoque perstare potest, ut :

σέβ-εσθαι (vereri) cf. scr. *sēv-*, lat. *sev-erus*
σοφ-ός lat. *sap-iens*.

In mediis verbis inter vocales ac potissimum in media flexione σ saepissime excidit, ut :

ἰός pro *Ϝισός cf. scr. *višas*, lat. *virus*
μῦς, gen. μυός lat. *mus*, *muris*
φέρῃ pro *φέρεσαι scr. *bharasē*.

Perstat tamen nonnunquam, ut :

αἱρήσω, ἔλυσα, τιμήσω.
δίδοσαι, τίθεσαι, ἵστασαι.
βασιλεύς, μοῦσα, τλῆ-σις.

σ medium, quod μ vel ν sequuntur, his nasalibus assimilatur, ut :

dor. ἐμμί pro *ἐσ-μί, scr. *as-mi*.
eol. ὀρεν-νος pro *ὄρεσ-νος (montuosus).

Quae vocabula, diphthongo εἰ in locum conjunctionis μμ vel νν substituta, in lingua vulgari εἰμί, ὀρεινός facta sunt.

In tali litterarum conjunctione σ, quod, quum vocabuli principale esset, exciderat mutatum perstare potest, ut :

φιλομμειδής pro *φιλο-σμει-δής, rad. scr. *smi* (ridere).
ἐῤῥύην pro *ἐ-σρύ-ην e ῥέω pro σρέω, rac. *sru*.
περίῤῥυτος pro *περι-σρυτος (circumfluus)[2].

In his ultimis exemplis σ sequenti ρ assimilatur ; sed potest etiam ρ antecedenti assimilari, quod praecipue in recentiore attica dialecto fit[3], ut :

ἄῤῥην pro ἄρσην (masculus), pers. arš-an (homo).
θαῤῥεῖν teut. *turran* θαρσεῖν, got. daursan (audere).
ὄῤῥος *ὄρσος, teut. ars (anus).
τεῤῥαίνω τερσαίνω (tergere), scr. tarš.
χέῤῥος χέρσος (siccus), etc.[4].

1. Spiritus asper in tenuem transit in ἀ-, ὀ-, scr. *sa*, ut ἀ-δελφός (frater) — *cum*, *uterus*, — ὀ-πατρος (eamdem patrem habens).
2. Schleicher, id. 217, 218, 220, 221, 227. — Leo Meyer, *Vergleichende Grammatik der griechischen und lateinischen Sprache*, I, 52 et seq.
3. A. Matthiae, *Grammaire raisonnée de la langue grecque*, I, 72.
4. G. Curtius, *Grundzüge der griechischen Etymologie*, passim.

Eadem assimilatio in dorica dialecto invenitur, ut :

κέῤῥα, att. κόῤῥη	pro κόρση (puella).
Ὄῤῥιπος	Ὄρσιπος.
πυῤῥός	πυρσός (fax), etc.[1].

Attamen σ post ρ semper perstare videtur, quum terminationis pars principalis est, ut :

ἄρ-σις (elatio), ἄρ-σω (irrigabo), etc.

Conjunctio ρσ sola in graeca lingua, vel certe in ionica atticaque dialecto mutationem spirantis σ in tremulum ρ ostendit[2]; sed in quibusdam aeolicis ac potissimum in dorica Laconiae dialecto aliquot ejusdem exempla reperiuntur[3]. Elii enim et Eretrii, auctore Strabone[4], in extremis vocibus atque in mediis, quae quidem consuedo ex eis ad Chalcideos transiisse videtur[5], σ in ρ mutabant, quam ob proprietatem eorum lingua, ut refert Eustathius, barbara dicta fuit[6]. Antiqui exempla mutationis σ extremi Eliaca afferunt οὖτορ, ἵππορ, δίκαρ, Eretriacum σκληροτήρ. In foedere quodam Eleorum et Heracensium[7] leguntur τοῖρ et τιρ pro τοῖς et τις; sed reliqua vocabula : Ϝαληίοις, τοῖς ʽΗρϜαώοις, ʼαλλάλοις, Ϝέπος, Ϝέτας, δᾶμος, σ extremum et ante vocales et ante consonantes servant, ita ut nullam legem certam haec mutatio sequi videatur.

In epigraphicis Athenarum ephemeridibus cujusdam inter Eretriam et Istiam foederis, anno CCCLX ante Christum natum icti, fragmentum legitur, quod σ medium inter duas vocales

1. Ahrens, *De graecae linguae dialectis*, II, 102.

2. Jacobus Grimm declarabat vocabulum θήρ, θηρός, quod cum gothico *dius*, ang.sax. *deor*, teut. *tior*, conferebat, exemplum rhotacismi praebere; credo autem peritissimum grammaticum in hoc errasse; *dius* enim videtur non e radice sc. *dha-*, gr. θε- (currere), sed e radice *dus* quae in slavico *duša* (anima) invenitur, ortum. Cf. Grimm, *Geschichte der deutschen Sprache*[2], 222. — Leo Meyer, *Die gothische Sprache*, 173. — *Zeitschrift für vergleichende Sprachforschung*, XXII (II), 2, 190.

Credo supervacuum esse de vocabulis ut δικασ-τής, δικασ-τήριον loqui; in his enim σ in ρ non mutatur, sed duae terminationes dispares της et τήρ-ιον (sc. *tar*, lat. *tor*) usurpantur. — Ad. Regnier, *Racines grecques*, XCI.

3. Ahrens, *De graecae linguae dialectis*, I, 226. — II, 71 et s.

4. Strabo, X, 686. *De Eretria :* ἐποίκους δ'ἔσχον ἀπ' Ἠλίδος, ἀφ' οὗ καὶ τῷ γράμματι τῷ ρ πολλῷ χρησάμενοι οὐκ ἐπὶ τέλει μόνον τῶν ῥημάτων ἀλλὰ καὶ ἐν μέσῳ κεκωμῴδηνται.

5. Suidas s. v. χαλκιδίζειν : ἄλλοι δὲ ἐπὶ τοῦ ῥωτακίζειν, ἐπεὶ αὐτοίτε καὶ Ἐρετριεῖς δοκοῦσι τῷ ρ κατακόρως χρῆθαι καὶ ἀντὶ τοῦ σ τιθέντες.

6. Ἐκωμῳδοῦντο δὲ οἱ Ἐρετριεῖς ὡς πολλῷ τῷ ρ ἐν ταῖς ὁμιλίαις χρώμενοι, διὸ καὶ αὐτοὶ καὶ Ἠλεῖοι βαρβαρόφωνοι ἐκαλοῦντο. 279, 34.

7. Ahrens, id. I, 280.

in ρ mutatum in ὀπόραι, ἄ-ρχουριν, ὀ-μνούρας, παραβαίνωριν ostendit[1]. Haec mutatio etiam ante consonantem quamdam in Πελαργός et θέρμιος pro θέσμιος, apud Elios Apollinis cognomine, reperitur[2].

Lacones quidem σ in ρ mutasse grammatici non commemorant, res tamen certissima est, quanquam ea mutatio neque in titulis Laconicis, qui caeterum omnes recentioris temporis sunt, usquam reperitur, neque apud Alcmanem neque in Lisystrata praeter unicum exemplum v. 988 παλαιόρ vel potius παλεέρ, ut restituit Dindorfius[3]. Contra multa ejus depravationis exempla ab Hesychio tradita sunt, qua quidem, ut videtur, sigma vel extremum vel medium adulterari potest[4].

1° In extremis vocibus eam patitur

a) Nominativus singularis primae declinationis in sequentibus exemplis :

ἐπιγελαστάρ · ὁ καταγελῶν.
καλλίαρ · πίθηκος.

b) Nominativus singularis secundae declinationis in his vocabulis :

ἀδελιφήρ · ἀδελφός.
ἀκκόρ · ἀσκὸς.
βουαργόρ · ἀγελάρχης, ὁ τῆς ἀγέλης ἄρχων παῖς.
γῶνορ · γωνία.
δαιδῶχορ, pro δᾳδοῦχος · λυχνία.
πέλανορ · τὸ τετράχαλκον.
πίσορ · πίθος.
σιαλόρ · θαλίς.
σία(ὁ)ρ · θίασος.
σίορ · θεός.

β) Nominativus singularis tertiae declinationis, ut :

ἀδώρ · ἠώς.
Αἴγλάηρ · ὁ Ἀσκληπιός.
ἀκαλανσίρ · ἀκανθυλλίς.
ἀντιβολήρ · στρωτὴρ μικρός.
ἄππιρ · ὕσπληξ.
γονάρ · μήτρα.
δάρειρ · ἀπο τοῦ μεγάλου δακτύλου ἐπὶ τὸν μικρὸν διάστημα.

1. *Mémoires de la Société de linguistique*, II, 232.
2. Ahrens, id. I, 227.
3. Ahrens, id. II, 71.
4. *Hesychii Alexandrini lexicon* rec. M. Schmidt, 1868.

νέκυρ · νεκρός.
πόρ · πούς.
συλλίρ pro θυλλίς · θύλακος.
τίρ · τίς.

Non aliter in neutris in quibus σ thematis pars est :

ἀγλευκέρ · αὖλος.
φούρκορ · ὀχύρωμα.

δ) Nominativus pluralis tertiae declinationis, ut :

ζούγωνερ · βόες ἐργάται.
φουλίδερ · παρθένων χόρος.

Addendum est

νεικάαντερ pro νικήσαντες,

quod vocabulum in quadam inscriptione laconica Marii Aurelii tempore facta reperitur [1]. Rhotacismus quoque in sequentibus adverbiis usurpatur :

ἀπαβοίδωρ · ἐκμελῶς.
βίώρ · ἴσως, σχεδόν.
ἔναρ, ἐπέναρ · εἰς τρίτην, εἰς τετάρτην.

2° Igitur fere omnia verborum genera mutationem sigmatis extremi in ρ patiuntur; medii autem adulteratio multo rarior est; sed, quod notandum est, non inter duas vocales, pro consonànte sonora vel etiam surda haec soni depravatio usurpatur, ut :

μιργάδωρ · τὸ λυκόφως pro μισγήως.
μίργωσαι · πηλοῦσαι pro μίσγουσαι.
μοῦρκορ · μύχος.
παρτάδες · ἄμπελοι [2].

Nullum in caeteris doricis dialectis ejusdem mutationis exemplum invenitur, nisi τεόρ (σοῦ) creticè, loco τέος, quo alii Dorienses utebantur. Sed quantumvis varia rhotacismi exempla, quae in graecis dialectis reperiuntur, sint, non tamen forma communis factus est, atque in idiomatibus ingenio scriptorum parum excultis solum usurpatur. Prorsus aliter in dialectis italicis fuit, de quibus nunc mihi est disserendum.

1. *Mém. de la Société de linguistique*, II, 213.

2. Ahrens, id. II, 74. — Legitur quoque in Lacedemoniorum decreto contra Timotheum, quod nobis Boethius servavit : Τιμόσιορ ὁ Μιλήσιορ παραγινόμενορ. τὰρ ἀκόαρ. τῶρ νέωρ. Sed huic documento nihil auctoritatis esse videtur. — Cf. Mathiae, id. I, 70.

CAPUT SECUNDUM.

DE RHOTACISMO IN ITALICIS DIALECTIS ATQUE IN ROMANIS LINGUIS.

In cunctis italicis atque romanis dialectis spirans *s*, quum vocabulorum principalis est atque singillatim usurpatur [1], perstat, ut : scr. *saptan* lat. *septem* it. *sette* hisp. siete fr. *sept*.

Attamen *s* principalis in romanis linguis, rarò tamen, in *č*, ǯ, *ts*, θ, χ verti potest ; sed nunquam in ullo idiomate in *r*, transit, ut :

lat. *simplum	it. *scempio*	hisp. simple	pr. simple	gall. simple
sufflare	*zufolare*	*chiflar*	pr. *chuflar*	souffler
surdum	sordo	*zurdo*	pg. surdo	sourd
saponem	sapone	*xabon*	pg. sabão	savon, etc. [2]

Igitur supervacuum est in rhotacismi inquisitione, quam aggredior, de *s* principali disserere ; atque satis erit perpendere, quas mutationes in mediis vel extremis vocabulis haec littera patiatur. Eas separatim in latina, osca atque umbrica dialecto, dein in romanis linguis persequar.

DE RHOTACISMO IN LATINA LINGUA.

Singulatim inquirendum est quis in mediis atque in extremis vocibus esse possit.

I. *Rhotacismus in mediis vocabulis.*

Ante surdas consonantes *s* media semper perstat, ut :

piscis got. *fisk-s*

1. Etenim in conjunctionibus *sm*, *sn*, *sr*, *s* semper excidit, solis *m*, *n*, *r* perstantibus, ut :
lat. *nix*, *nivis* pro **snigs*, **snigv-is* lit. *snēgas* got. *snaivs*
s quoque ante *f* in
fallere, *funda*, *fungus*, *fides*
σφάλλειν, σφενδόνη, σφόγγος, σφίδη
effluxit. — Cf. Schleicher, id. 252.

2. Cf. Diez, *Grammatik der romanischen Sprachen*, I^3, 237. *Chiflar* e *sibilare* oritur.

est scr. *asti*, gr. ἐστί
vesper(us) gr. ἕσπερος

Post omnes consonantes, tremula *r* excepta, *s* media quoque perstat, ut : *cel-sus, fal-sus, den-sus, pren-si, gres-sus, pres-si, scrip-si, serp-si*, etc.

Ante sonoras autem *s* media excidit, assimilatur, vel mutatur.

Ante *d* plerumque *s* excidit, ut :

i-dem pro **is-dem*
ju-dex **jus-dex*
tra-duco juxta *trans-duco*

Sed perstat in casibus obliquis ut *ejus-dem*, *cujus-dam* ;

Ante *b* quoque *s* excidit, ut :

tene-brae pro **tenes-brae.*

Ante *l* etiam *s* effluit in *corpu-lentus* pro **corpus-lentus.*

Ante *m* aliquoties *s* excidit, ut in

rēmus pro **resmus* cf. *tri-res-mus* Col. rost. — quod pro **ret-mus* est, (cf. gr. ἐ-ρετ-μός), — atque in *Ca-mena* pro *Cas-mena* Varr. VII, 9, r. scr. *ças* (narrare).

Ante *n* etiam *s* nonnunquam effluit, ut in

cē-na cf. umb. *çes-na*
pē-nis scr. *pas-as*, gr. πέος e *πέσ-ος
pō-no pro *pos-no*

In *penna* autem pro *pes-na*, *s* quae e *t* oritur (cf. *prae-petes* [Fest. aves], gr. πέτ-ομαι, teut. *fĕd-ara*), *n* nasali assimilatur [1].

Sed ante *m*, sicut ante *n*, atque inter vocales vel post *r*, spirans *s* in tremulam *r* persaepe transit. Haec mutatio jam a latinis scriptoribus notata fuit : « In multis verbis, inquit Varro [2], in quibus antiqui dicebant *s*, postea dictum *r*. » — « *S* familiariter in *r* transit, » declarabat CCCC annis posterius Velius Longus [3]. Cicero quoque nomen *Papirium* prius *Papisium* esse dictum affirmat [4]. Festus, auctore Verrio Flacco, *Aurelios* primum *Auselios* vocatos esse declarat [5]. Livio etiam non satis probatum erat an Veturius Geminus, qui annis CCLXII

1. Schleicher, id. 260.
2. *De lingua latina*, VII, 26.
3. *Gram. veteres*, P. 2239. Legitur p. 2233 : « *Ferias* quoque non *fereas*, quoniam apud antiquos *fesiae* non *feseae* dictae sunt »; et p. 2238 : « Itaque *harenam* justius quis dixerit, quoniam apud antiquos *fasena* erat. »
4. *Epist. familiares*, IX, 21 : « Tunc (annis post Romam conditam CCCXII) *Papisii* dicebamini. »
5. Festus s. v. Aurelium. Cf. Egger, *M. Verrii Flacci fragmenta*.

post Romam conditam consul fuit, *Veturius Vetusiusve* recte diceretur [1]. Tandem Pomponius refert ab Appio Claudio *r* litteram inventam fuisse, « ut pro *Valesiis Valerii* essent et *Fusiis Furii* [2]. » Non est dubitandum quin commentitium sit, quod hanc spirantem Appius repererit; quanquam hoc testimonio ostenditur, quam vivax litterae *s* in *r* mutatae memoria in hominum mente versaretur [3]. Haec adulteratio autem, ut supra dixi, inter vocales vel ante quasdam consonantes sonoras, sicut post *r*, in radice sive themate atque in verborum flexionibus reperitur; illud quoque indagari potest an in extremis vocibus usurpetur. Itaque *s* mediae in verborum themate, atque in flexione, deinde *s* extremae mutatio mihi inquirenda est.

1° *Rhotacismus in themate.* — Sicut antiqua monumenta ostendunt, inter vocales *s* primitiva in *r* transiit in sequentibus vocabulis :

ara	cf. asas Ter. Scaurus P. 2252.
arena	asenam *Carm. sal.* Var. *L. l.* VII, 27.
(*h*)*arena*	fasena Vel. Longus P. 2238.
Aurelius	Auselli Festus, 213, 23.
Curiones	Cusianes *Carm. sal.* Var. id.
erit	esit Macr. *Sat.* I, 4.
feriae	fesiae Fest. 86. — rad. bhās- (lucere).
Furius	Fusius Pomp. *Dig.* I, 22.
Lares	Lases *Carm. Arv.* Egger, *Rel.* 69. — Lasibus Fest, 264.
Spurius	Σπούσιον Dion. Hal. III, 34 [4].

S servata ante *t* fidem facit *r* quoque ex hac spiranti in sequentibus thematibus natam esse :

ger-o	pro *ges-o	cf. ges-tum
haur-io	*haus-io	haus-tum

1. Lib. III, 8. « V. Publicola tertio die quam interregnum inierat, consules creat L. Lucretium Tricipitinum et T. Veturium Geminum, sive ille Vetusius fuit. »

2. *Dig.* I, 2, 36. — Cf. Grimm, *Geschichte der deutschen Sprache*, I², 221.

3. Attamen grammatici quidam crediderunt *r* litteram in *s*, non *s* in *r* mutatam esse. « *r* transit in *s* », declarat Priscianus (*Inst. lib.* I, 40. — *Gram. lat.* K 31), ut « arbos » pro « arbor », « odos » pro « odor ». Non aliter Terentianus Scaurus (*Gram. vet.* P. 2252), « qui *r* exprimere non possunt... *s* dicunt... *Furvos* dicimus quos antiqui *Fusuos* et *aras* quas illi *asas* et *Lares* quos *Lases*. »

4. Cf. Egger, *Sermonis latini vetustioris reliquiae*, 71, 75, etc. — Corssen, *Ueber Aussprache, Vocalismus und Betonung der lateinischen Sprache*, I², 229 et 231.

her-i	*hes-i	hes-ternus
jur-are	*jus-are	jus-tus
moer-or	*moes-or	moes-tus, gr. μισ-έω
ne-far-ius	*ne-fas-ius	ne-fas-tus
quer-ī	*ques-ī	ques-tus
ur-o	*us-o	us-tus, etc.

In lingua posteriore nonnunquam *s* primitiva etiam juxta *r* juniorem servatur, ut :

nar-is	juxta nas-us, scr. nāsā
quaer-o	quaes-ivi, scr. kviš.

Latinam linguam cum idiomatibus ejusdem familiae conferenti clare apparebit *r* etiam in locum *s* litterae in sequentibus vocabulis substitutam fuisse :

ar-a	juxta	umb. as-a, osc. aas-ai
aur-is		got. aus-o, lit. aus-is, gr. οὖς
aur-or-a		scr. uš-as, dor. ἀώς
fer-iae		umb. fes-na, rac. bhās
Flor-a		sab. Flus-a
haur-io		nor. aus-a
her-i		scr. hjas, gr. χθες, got. gis-tra
ir-a		rad. is-
līr-a		teut. leis-ā
mer-eo		gr. μίσ-θος, got. miz-do
nur-us		scr. snuš-ā
or-āre		umb. os-atu
ser-o pro *se-ses-o		gr. ἱέναι pro σι-σέναι
sor-or		scr. svas-ar, teut. sves-ter
spir-are		rad. spu(s), gr. φυσ-άω, lit. *pús-ti*
vires		cf. vis, gr. ἴς
vir-us		scr. viš-as (venenum), gr. ἰ-ός [2].

Contra, si verba sequentia cum vocabulis ejusdem originis conferas, plane videbis *r* in eis primitivam esse :

ar-o	juxta	gr. ἀρ-όω, got. ar-jan
cer-a		gr. κηρ-ός, lit. *kór-is*
Cer-es		scr. *kar-āmi* (creo)
dir-us		scr. *dar-as*, gr. δείρ-ω, got. *tair-an*

1. Cf. Corssen, id. I, 230.

2. Cf. Grimm, *Geschichte der deutschen Sprache*, I², 221. — Corssen, id. passim. — Schleicher, id. passim. — Fr. Baudry, *Grammaire comparée*, I, 204. — Leo Meyer, *Vergleichende Grammatik*, I, 56. — G. Curtius, *Grundzüge*, etc. passim.

fer-a	rad. *dhvar-* gr. φήρ, θήρ
fer-o	scr. *bhar-āmi*, gr. φέρ-ω, got. *bair-an*
for-es	scr. *dvār-am*, gr. θύρ-α
her-es	rad. *har-*, gr. χέρ-ης
hir-a	scr. *hir-ā*, gr. χορ-δή, nor. *gar-nir*
hor-a	gr. ὥρ-α
mar-e	scr. *mīr-as*, got. *mar-ei*
mir-us	rad. *smar-*
mor-i	rad. *mar-*, lit. *mar-as*, gr. μαρ-αίνειν
or-ior	rad. *ar-*, gr. ὄρ-νυμι
ser-ia	gr. σειρ-ά
ser-ius	got. *sver-s*
sper-no	gr. σπαρ-νός
ster-no	gr. στορ-έννυμι
ter-o	gr. τείρ-ω
ver-eor	lit. *var-uja* (caveo), got. *var-jan*
ver-us	got. *var-s*
vir	got. *vair*
vor-are	gr. βορ-ός, etc.[1]

Ex his exemplis cernitur *r* primitivam radicis atque *r* ex *s* ortam in latina lingua confudi; sed omnes *s* in *r* non transierunt, atque haec spirans in nonnullis vocabulis perstitit, ut :

as-inus	cf. got. *as-ilus*
cas-a	got. *kas*
mis-er	gr. μισ-έω
mus-io	*mus*
nas-us	scr. *nās-ā*, sl. *nosŭ*, teut. *nas-e*
pīsō, pīsere	scr. *piš-*
quaes-o	scr. *kviš-*
pus-ula	gr. φυσ-άω
pus-us	scr. *puš*

sicut in sequentibus, ubi *s* primitiva esse videtur : *agaso*, *asio*, *basium*, *bison* (Pl.), *caseum*, *caesius*, *equiso*, *laser*, *lausus*, *piso* (Isid.), *pisum*, *pos-ui*, *rosa* (?), *vasa*, *vesica*; atque in aliquot aliis, quae pleraque originis peregrinae sunt, ut : *asarum* (ἄσαρον), *basis* (βάσις), *gaesum* gal. (got. gais, teut. ger), *lasanum* (λάσανον), *musa* (μοῦσα), etc.[2]

1. Cf. Schleicher, id. 256. — Corssen, id. 238, 506, 508, etc. — L. Meyer, *Vergleichende Grammatik*, 70.

2. Cf. *Mém. de la Soc. de ling.* I, 130. — Leo Meyer, id. I, 397.

A fortiori *s* media perstat, quum consonans quae anteit effluxit, vel quum in alius consonantis locum sufficitur; ut in *causa* pro **caus-sa*, *clausus* pro **claud-tus*, *fusus* pro **fund-tus*, *misi* pro **mit-si*, *rasi* pro **rad-si*, *rosi* pro **rod-si*, *usus* pro **ut-tus*, etc.; atque in terminationibus *osus* pro *on-sus*, *simus* pro *t-tumus* et *sies* pro *t-ties* [1].

In flexuris, sicut in thematibus, *r* ex *s* orta est, in *er*, *or*, *ur* (scr. ās), ut :

crep-er-us	juxta	crep-us-culum
mod-er-are		mod-es-tus
re-mun-er-are		mun-us
temp-er-ies		temp-es-tas
um-er-us	cf. scr.	aṅsa-s, gr. ὦμ-ος
aur-or-a	scr.	uš-as
dec-or-are	juxta	dec-us
lab-or-are		lab-os
plo-ur-ima Inscr.		pl-us-ima *Carm. Sal.* etc.

Sicut in terminationibus *ar-ius*, *er-ius*, *ir-ius*, *ur-ius*, in quibus flexio *as* quoque invenitur, ut :

plen-ar-ius	juxta umb.	plen-as-ier
Pin-ar-ius		Pin-as-i Festus, p. 213
vi-ar-ius Coel. ad Cic.		vi-as-ieis *C. I. L.* I, 200
Fal-er-ius		Fal-is-cus
Num-er-ius		Num-is-ius Momms. I, p. 282
Val-er-ius		Val-es-ii Fest., p. 15
Pap-ir-ius		Pap-is-ius Cic. *Ep. fam.*, IX, 21
Vet-ur-ius		Vet-us-ius, Liv. III, 8, 2.

Contra *r* primitiva in syllabis *er* (scr. *ar*), — *ro*, *ru* (scr. *ra*), — *ter*, *tōr*, *tur* (scr. *tara*), et *tro*, *tru* (scr. *tra*) reperitur, quae in substantivis, adjectivis, adverbiis atque in participio futuri activi usurpantur, ut :

ver pro **ves-er* [3]	lit. *vas-ar-a*, gr. ἔαρ, pro *Fέσαρ
fra-ter	scr. *bhrā-ta(r)*, gr. φρά-τωρ, got. *brothar*
in-ter	scr. *an-tara*, got. *un-dar*
u-ter	got. *hva-thar*

1. Cf. Schleicher, id. 263.
2. Cf. Corssen, id. I, 231, 347, etc. II, 127, etc.
3. *Ver* unum e raris vocabulis est, in quibus *s* media inter vocales in latina lingua effluxit. — Cf. Schleicher, id. 266.

da-tor	scr. *da-tars*
da-tur-us	cf. id.
rub-ru-m	scr. *rudh-i-ra-m*, etc.[1]

In derivatis *s* radicis vel thematis plerumque ante *m* et *n* ac nonnunquam ante *v* in *r* transit, ut :

Car-men	cf. scr. ças-man
Car-mena	Cas-mena Var. VII, 26
ver-na	scr. vas (habitare)
di-ur-nus	di-us, inter-dius Cat.
ho-di-er-nus	dies, cf. Dies-piter
mod-er-nus	mod-us, mod-es-tus
vet-er-nus	vet-us, vet-us-tus
Min-er-va	scr. man-as (mens), gr. μέν-ος[2].

Quum *s* primitiva tremulam *r* sequitur, huic assimilatur, ut :

cur-rus	pro *cur-sus	scr. karš
er-rare	*er-sare	scr. arš-, got. airzjan
far-ris	*far-sis	scr. gharš, umb. far-sio
hor-rere	*hor-sere	scr. harš
ter-rere	*ter-sere	scr. tras-
tor-rere	*tor-sere	scr. tarš, got. þaurs-nan
ver-rere	*ver-sere	scr. karš

sicut in *ferrum*, *porrum*, *terra*, *turris*, etc. In superlativis *acer-rimus*, *aeger-rimus*, *asper-rimus*, *celer-rimus*, *creber-rimus*, *deter-rimus*, *matur-rimus*, *miser-rimus*, *niger-rimus*, *nuper-rimus*, *pauper-rimus*, *piger-rimus*, *prosper-rimus*, *pulcher-rimus*, *ruber-rimus*, *sacer-rimus*, *saluber-rimus*, *tener-rimus*, *teter-rimus*, *uber-rimus*, *veter-rimus*, *s* quoque, quamvis e *t* orta, *r* praecedenti assimilatur[3].

Sed quum consonans media inter *s* et *r* excidit, vel quum *s* pro *ss* (*st*) usurpatur, *s* perstat, ut :

spar-sus	pro **spar-g-tus*	*spar-s-tus*
ter-sus	**ter-g-tus*	*ter-s-tus*
tor-si	**tor-c-si*	*tor-s-si*
ur-sus	**ur-c-sus*	scr. *ṛk-šas*, gr. ἄρκ-τος
ver-sus	**ver-t-tus*	*ver-s-tus*, etc.[4]

In compositis *s*, quae simplicium principalis erat, quamvis media facta, etiam inter vocales perstat, ut in *ni-si*, *pro-sequi*,

1. Cf. Schleicher, id. 257.
2. Cf. Corssen, id. I, 232, 233.
3. Cf. Corssen, id. I, 242. Adde quoque **miner-rimus* Fest.
4. Cf. Schleicher, id. 261, 263.

ve-sanus, etc. Contra *s*, quae simplicium extrema erat, in *r* transit, ut :

dir-imere pro *dis-imere (emere)
dir-ibere *dis-hibere (habere)[1].

2° *Rhotacismus in flexione.* — In radice quanquam *s* media inter vocales atque ante *m* et *n* vel post *r* saepissime in *r* vertitur, vidimus tamen eam quoque nonnunquam perstare; in flexione contra, saltem inter vocales, *s* semper in *r* transit[4]. Haec mutatio in declinatione, sicut in conjugatione usurpatur.

α) In genitivo plurali thematum quae in *a*, *o*, *e* desinunt, quo in casu *rum* pro *sum* (osc. *zum*, scr. *sām*) dicitur, ut :

rosa-rum, *templo-rum*, *re-rum*, *bono-rum*[2].

β) In casibus obliquis thematum, quae in *es*, *is*, *os*, *us* (scr. *as*) desinunt, quibus in casibus, sicut in nominativo atque accusativo plurali trium generum accusativoque singulari masculinorum et femininorum, quum *s* media fit, in *r* vertitur, ut :

	gen-us	gen. gen-es-is	*gen-er-is*
cf. scr.	ǵan-as	ǵan-as-as	
	γέν-ος	*γεν-εσ-ος	*γεν-ε-ος, γέν-ους.

Caeterum haec mutatio usurpatur in monosyllabis, in quibus *as* cum radice contrahitur, sicut in polysyllabis, ubi *as* a radice semper sejunctum permanet[3], ut :

1° in monosyllabis :

aes,	*ae-ris*	cf. scr. ay-as, got. aiz
mas,	*mar-is*	mas-culus
glis,	*glir-is*	scr. gir-is
flos,	*flor-is*	flos-culus
glos,	*glor-is*	gr. γάλως
mos,	*mor-is*	mos-culi. Cat.
os,	*or-is*	scr. ās-ya, os-culum
ros,	*ror-is*	lit. ras-a, sl. ros-a
crus,	*crur-is*	scr. krav-is, κρέ-ας, crus-culum
jus,	*jur-is*	scr. yūš-as
jus,	*jur-is*	jus-tus
mus,	*mūr-is*	gr. μῦς, mus-culus
plus,	*plūr-is* (*ple-or-is*)	plus-culus

1. Cf. Corssen, id. I, 232.

2. Nonnunquam *vas*, *vas-is* falso excipitur; nam in hac voce *s* radicis, non flexionis, pars est.

3. Bücheler, *Grundriss der lateinischen Declination*, 34 et 44. — Corssen, id. I, 232.

pus, *pūr-is*
spes, *sp-er-es* Enn.
thus, *thūr-is*

atque 2° in polysyllabis :

Cer-es	*Cer-er-is*	cf. Cer-us-es *Carm. Sal.*
pub-es	*pub-er-is*	pub-es-co
cin-is	*cin-er-is*	cin-is-culus
cucum-is	*cucum-er-is*	
pulv-is	*pulv-er-is*	pulv-is-culus
vom-is	*vom-er-is*	
arb-os	*arb-or-is*	arb-os-em Fest. 15 — arb-us-tum
hon-os	*hon-or-is*	hon-es-tus
lab-os Sall.	*lab-or-is*	lab-os-us Lucil.
lep-os Lucr.	*lep-or-is*	
od-os Plaut.	*od-or-is*	
ac-us	*ac-er-is*	
foed-us	*foed-er-is*	foed-es-um *Carm. Sal.*
fun-us	*fun-er-is*	
gen-us	*gen-er-is*	scr. ǵan-as, gr. γέν-ος
glom-us	*glom-er-is*	
jocin-us	*jocin-er-is*	
lat-us	*lat-er-is*	
mun-us	*mun-er-is*	mun-us-culum
ol-us	*ol-er-is*	ol-us-culum
on-us	*on-er-is*	on-us-tus
op-us	*op-er-is*	op-us-culum, scr. ap-as
pond-us	*pond-er-is*	pond-us-culum
rud-us	*rud-er-is*	rud-us-culum
scel-us	*scel-er-is*	scel-es-tus
sid-us	*sid-er-is*	
ulc-us	*ulc-er-is*	ἕλκ-ος
vell-us	*vell-er-is*	
Ven-us	*Ven-er-is*	ven-us-tus
vet-us	*vet-er-is*	vet-us-tus
visc-us	*visc-er-is*	
vuln-us	*vuln-er-is*	vuln-us-culum
corp-us	*corp-or-is*	corp-us-culum
dec-us	*dec-or-is*	scr. daç-as
facin-us	*facin-or-is*	
fen-us	*fen-or-is*	fen-us-culum
frig-us	*frig-or-is*	
lep-us	*lep-or-is*	lep-us-culus

lit-us	*lit-or-is*	
nem-us	*nem-or-is*	
pec-us	*pec-or-is*	pec-us-culum
pect-us	*pect-or-is*	pect-us-culum, scr. pakš-as
pen-us	*pen-or-is*	
pign-us	*pign-or-is*	pign-os-a Festus, 213
rob-us	*rob-or-is*	rob-us-tus, scr. rādh-as
sterc-us	*sterc-or-is*	
temp-us	*temp-or-is*	temp-es-tas
terg-us	*terg-or-is*	
Lig-us	*Lig-ur-is*	lig-us-ticus
tell-us	*tell-ur-is*	[1].

Rhotacismus syllabae *us* etiam in sequentibus vocabulis usurpatur, in quibus propter similitudinem *s* in *r* in nominativo singulari transiit; ut :

ang-or	*angor-is*	cf. scr. anhas
cru-or	*cru-or-is*	scr. krav-is, gr. κρέ-ας
fav-or	*favor-is*	faus-tus
ferv-or	*fervor-is*	gr. θάλπ-ος
janit-or	*janit-or-is*	janit-os [2]
jec-ur	*jec-or-is*	jecus-culum

sicut in substantivis :

acor	*curvor*	*languor*	*odor*
acror	*decor*	*lentor*	*olor*
aegror	*dolor*	*levor*	*paedor*
albor	*dulcor*	*liquor*	*pallor*
algor	*error*	*livor*	*pator*
amor	*favor*	*luror*	*pavor*
ardor	*fluor*	*lymphor*	*pigror*
caldor	*foetor*	*macror*	*placor*
calor	*fragor*	*mador*	*plangor*
canor	*fremor*	*maeror*	*pluor*
clamor	*fulgor*	*marcor*	*pudor*
clangor	*furor*	*mucor*	*putor*
claror	*horror*	*nidor*	*putror*
color	*humor*	*nigror*	*rancor*
cremor	*labor*	*ningor*	*rigor*

1. Cf. Schleicher, id. 93, 253, 471. — Corssen, id. I, 230, 571, etc. II, 41, 87, 200, etc. — L. Meyer, id. II, 110, 112, 113, etc.
2. *Janitos* fidem facit hujus vocabuli terminationem non syllabam *tor* esse ; *janitor* dicitur pro *jani-tu-os, jani-tu-us,* cujus terminatio etiam in *aedi-tu-us* reperitur atque *custodem* significat. Cf. Corssen, id. I, 213.

rubor	*stridor*	*terror*	*turgor*
rudor	*stringor*	*timor*	*udor*
salor	*stupor*	*torpor*	*uvor*
sapor	*sudor*	*torror*	*vagor*
sonor	*tardor*	*tremor*	*vapor*
sopor	*tendor*	*tumor*	*vigor*
splendor	*tenor*	*tuor*	*viror*[1].
squalor	*tepor*	*turbor*	

Rhotacismus quoque usurpatur in

it-er	*it-in-er-is*	cf. *it-us*
lat-er	*lat-er-is*	*latus*
verb-er	*verb-er-is*	lit. *virb-as*

atque, ut videtur, in

acer	*gibber*	*laver*	*siler*	*tūber*
cicer	*laser*	*mulier*	*suber*	*tŭber*

sicut in *aequor*, *fulgur*,- juxta *fulgor*,- *lemures*. Invenitur quoque in quibusdam adjectivis, ut :

cel-er,	*cel-er-is*	cf. κέλ-ης
dec-or,	*dec-or-is*	juxta decus
de-gen-er,	*de-gen-er-is*	genus.

In caeteris autem vocabulis, quae in *er*, *or* desinunt, hae flexurae ex *ar*, *an*, *tar* ortae sunt; ideoque nullum rhotacismi exemplum praebent [2].

γ) Comparativus, quum per adjunctionem syllabae *ios*, *ius*, [scr. *ja*(*n*)*s*, got. *iz*(*an*)] formetur, in casibus obliquis *s* mediae rhotacismum ostendit, ut :

mel-ius *mel-ior-is* cf. mel-ios-em *Carm. sal.* ma-ios-ibus Fest. Haec flexio *ios* in nominativo singulari trium generum usque ad quintum seculum usurpata fuit; sed quum *s* media in *r* transiisset, *ios* propter similitudinem in nominativo singulari masculinorum femininorumque in *ior* atque in neutrorum nominativo accusativoque singulari in *ius* mutatum fuit [3].

δ) Quum superlativus terminatione *timus* themati adjuncta formetur, nullum rhotacismi exemplum praebet, sed haec soni depravatio in genitivo plurali adjectivorum articularium reperitur, ut :

	eo-rum	*ea-rum*	*eo-rum*
got.	i-zē	i-zō	i-zē
scr.	ē-šām	ā-šām	ē-šām.

1. Cf. Leo Meyer, id. II, 114.
2. Cf. Leo Meyer, id. II, 119, 131.
3. Cf. Bücheler, id. 4.

Non aliter in pronominum relativorum genitivo plurali :

	quo-rum	*qua-rum*	*quo-rum*
scr.	kē-šām	kā-sām	kē-šām

Haec sunt rhotacismi praecipua exempla quae in declinatione reperiuntur, non pauciora vel minus notanda ostendit conjugatio.

α) Verbum *es-se*, e radice *es* ortum, in vetustiore lingua latina sequenti modo conjugabatur.

Indicativus praesens :

(e)s-um	dor. ἔμ-μί	scr. as-mi
es	ἐσ-σί	a(s)-si
es-t	ἐσ-τί	as-ti
(e)s-u-mus	ἐσ-μές	(a)s-mas
es-tis	ἐσ-τέ	(a)s-tha
(e)s-unt	ἐ(σ)-ντί	(a)s-anti

Conjunctivus praesens :

(e)s-iem	gr. ἐ(σ)-ίην	scr. (a)s-yām
(e)s-ies	ἐ(σ)-ίης	(a)s-yās
(e)s-iet	ἐ(σ)-ίη(τ)	(a)s-yāt
(e)s-īmus	ἐ(σ)-ίημεν	(a)s-yāma(s)
(e)s-ītis	ἐ(σ)-ίητε	(a)s-yāta(s)
(e)s-ient	ἐ(σ)-ίησαν(τ)	(a)s-y-us.

Littera *e* radicis *es*, quum in prima persona singularis et pluralis atque in tertia pluralis persona indicativi praesentis atque in omnibus personis conjunctivi effluxerit, *s* in nulla persona inter vocales reperitur ideoque in omnibus perstat. Non ita in indicativi imperfecto futuroque, quae sequenti modo conjugabantur :

Imperfectum.	Imperfectum.	Praeteritum.
es-ā-m	gr. ἔ(σ)-η-ν	scr. ās-am
es-ā-s	ἔ(σ)-η-σθα	ās-ī-s
es-ă-t	ἔ(σ)-η-(τ)	ās-ī-t
es-ā-mus	ἔ(σ)-η-μεν	ās-ma
es-ā-tis	ἔ(σ)-η-τε	ās-ta
es-ant	—	ās-an

Futurum.

es(i)-o	dor. -σίω
es(i)-is	*-σίεις
es(i)-it	*-σίει
es(i)-imus	-σίομεν
es(i)-itis	-σίετε
es(i)-unt	-σίοντι

Quum *s* radicis *es* in indicativi imperfecto inter vocales sit, ea in *r* transit, atque hoc tempus sic conjugatur :

er-am, *er-as*, *er-at*, *er-amus*, *er-atis*, *er-ant*

Simili modo futurum, vocali *i* extrita, est factum :

er-o, *er-is*, *er-it*, *er-imus*, *er-itis*, *er-unt* [1].

β) Infinitivus syllaba *se*, quae in verbo *es-se* atque in *dasi* Fest. (Cf. scr. veha-sē (*vehe-re*), et gr. λύ-σαι) reperitur, themati adjuncta formatur; omnia autem verborum themata, *-es*, *ed*, *fer*, *vol* exceptis — in vocalem desinunt, ut *amā*, *monē*, *legĕ*, *audī*; igitur littera *s* syllabae *se*, quum inter vocales media sit, in *r* vertitur atque infinitivi

amā-se, monē-se, legĕ-se, audī-se,

amā-re, *monē-re*, *legĕ-re*, *audī-re*,

fiunt. Contra in infinitivis

es-se, ed-se, fer-se, vol-se,

quum *s* spirans consonantem aliam sequatur, ea non in *r* transire potest, excepto quidem *fer-se*, in quo *r* praecedenti *s* assimilatur, *s* quoque verbi *vol-se* liquidae *l* assimilata atque *d* verbi *ed-se* in *s* transeunte, haec quatuor verba facta sunt :

es-se, es-se juxta *ed-ere*, *fer-re*, vel-le pro volle [2].

γ) Quum subjunctivi imperfectum, quod in aoristi optativi vicem usurpatur, syllaba *se* cum flexuris *m*, *s*, *t*, *mus*, *tis*, (*e*)*nt* themati adjuncta formetur, ut :

sta-se-m	gr. στή-σαι-μι
sta-se-s	στή-σαι-ς
sta-se-t	στή-σαι-(τ)
sta-se-mus	στή-σαι-μεν
sta-se-tis	στή-σαι-τε
sta-se-(e)nt	στή-σαι-εν(τ)

in hoc tempore rhotacismus in verbis reperitur, quae in infinitivo praesenti *s* in *r* mutant, id est in omnibus, — *esse*, *velle* et illis quae inde derivantur exceptis, — ut :

amā-rem, *monē-rem*, *legĕ-rem*, *audī-rem* [3].

δ) In omnibus verbis, *esse* et *velle* exceptis, quum indicativi et subjunctivi praesens adjunctis themati flexionibus

o	is	t	mus	tis	unt
a-m	a-s	a-t	a-mus	a-tis	ant

formetur, nullum rhotacismi exemplum praebet. Non aliter in optativo praesenti verborum, quorum thema in *ă*, *ĕ* vel *ī* desinit,

1. Cf. R. Westphal, *Vergleichende Grammatik*, I, 453 et 560. — Id. *Die Verbalflexion der lateinischen Sprache*, p. 115. — Id. *Formenlehre der griechischen Sprache*, II, 98, 104, 261.

2. Cf. Schleicher, id. 472. — R. Westphal, *Die Verbalflexion* p. 47. — Leo Meyer, *Vergleichende Grammatik*, II, 122.

3. Cf. R. Westphal, *Die Verbalflexion*, p. 105.

quod tempus, pro conjunctivo præsente vel indicativi futuro usurpatum, adjunctae themati, — *ā* vel *ĕ* extrita, *ī* autem perstante, — flexiones

(a)e-m ē-s ĕ-t ē-mus ē-tis ent

formant. In perfecto quoque, quod in

ī i-sti ĭ-t ĭ-mus i-stis ĕr-unt

desinit, quum nulla *s* media inter vocales, saltem in quinque primis personis, reperiatur, nullum quoque in his rhotacismi exemplum occurrit; contra tertia pluralis persona, in qua *er-unt* pro *es-unt* [cf. scr. *us*, gr. (ε)σ-αν(τ)] dicitur, *s* in *r*, mutat, ut :

leg-er-unt pro *leg-es-unt, gr. ἔλεξ-αν pro *ἔ-λεγ-σ-αν.

ε) Indicativi imperfectum omnium verborum et futurum eorum quorum thema in *ā*, *ē* desinit, quum themati praesens *fu-o* [(*f*)*vo*, *bo*] vel imperfectum *fu-am* [(*f*)*vam*, *bam*] verbi *fu-o* (scr. bhu-, gr. φύ-ω) adjungat, nulla *s* media ideoque nullum rhotacismi exemplum in his temporibus reperitur [1]. Item in plusquamperfecto conjunctivi, quod conjunctivi imperfecto verbi *esse* themati cum vel sine littera *v*(*u*) adjuncto formatur, atque in infinitivi praeterito, quod e themate et infinitivo praesenti ejusdem verbi *esse* constat. Sed in caeteris indicativi conjunctivique temporibus derivatis, id est in conjunctivi perfecto atque in indicativi plusquamperfecto futuroque praeterito, in quibus verbi *esse* praesens conjunctivi (*e*)*sim*, indicativique imperfectum **esam* vel futurum **eso* themati adjungitur, rhotacismus usurpatur, ut :

lēg-erim, *lēg-eram*, *lēg-ero* [2].

ζ) In activi conjugatione, imperfecto conjunctivi atque infinitivo praesenti exceptis, rhotacismus tantum in derivatis temporibus reperitur; contra in passivi conjugatione solum in primariis temporibus nova hujus mutationis exempla inveniuntur, quum secundaria e participio verbique *esse* temporibus deriventur. Passivi autem in primariis temporibus conjugatio, ne de secunda pluralis persona loquar, syllaba *se* sine vocali media seu cum *i* vel *u* flexioni activi adjuncta formatur, hac flexione non mutata, quum in vocalem desinit, consonanti autem extrema extrita vel perstante, si ea ita terminetur, sed, — si secundam omnium temporum personam singularem excipias [3], quum *s* activi non perstat, — *e* syllabae *se* semper excidente, ut :

lego-s(e), legi(s)-se vel legis-i-s(e), legit-u-s(e), legimu(s)-s(e), legunt-u-s(e),

1. Cf. Schleicher, id. 809.
2. Cf. Westphal, id. 19.
3. Secunda quoque imperativi persona singularis est excipienda, in

quae formae, postquam *s* in *r* mutata fuit atque *e* extrema effluxit, et secundae personae *ĭ* in *ĕ* fuit attenuata, factæ sunt : *legor*, *legere* vel *legeris*, *legitur*, *legimur*, *leguntur* [1].

Quum autem secunda pluralis persona participii passivi formam usurpet, et in *mini* desinat, ut :

leg-imini cf. λεγ-όμενοι,

nullum rhotacismi exemplum offert.

η) Contra haec mutatio etiam in prisca infinitivi passivi flexione *ier* reperitur, quam Schönberg quondam dativi genus quoddam, ut *ama-si-ai-se*, esse contendit, Schleicher autem nuperque Wilhelms, in commentatione *De Infinitivi forma et usu*, e forma *ama-si-es*(*e*) duxerunt [2].

II. *S in extremis vocibus.*

In extremis vocabulis *s* plerumque perstat, ut :

equu-s	cf. scr. *açva-s*, gr. ἵππο-ς
nube-s	scr. *nabha-s*, gr. νέφο-ς
gen-er-is	scr. *ǵan-as-as*, gr. *γέν-εσ-ος.

Contra excidit in

poeta	gr. ποιητή-ς [3].

Attamen in nominativo singulari vocabulorum, quae in syllabas *es*, *os*, *us*, ex *ās* flexione ortas, desinunt, quum *s* in casibus ubi media fit in *r* vertatur, in casibus quoque ubi extrema est, — exceptis tamen monosyllabis [4], — sine dubio, ut supra dixi, propter similitudinem in *r* transit. Juxta *r* autem in quibusdam vocabulis *s* quoque reperitur, ut :

pubes	juxta *puber*
cinis	**ciner* Prisc.
cucumis	**cucumer* Prisc.
pulvis	*pulver* Ap.
vomis	*vomer*

qua *se* extremam *e* servat :

legĕ-se = *legĕ-re*.

1. Cf. Schleicher, *Compendium*, 704. — Westphal, *Vergleichende Grammatik*, I, 189. — Id. *Die Verbalflexion*, 20.

2. Cf. Schleicher, id. 474. — Corssen, id. I, 723. — Kuhn's *Zeitschrift*, XXII (Nova series II), 4, 336, anno 1874. — L. Meyer, id. II, 123.

3. Schleicher, id. 252.

4. Hoc etiam mihi fidem facere videtur *s* extremam in latina lingua non vere in *r* mutari; nam in germanicis idiomatibus atque in umbrica dialecto, in quibus haec mutatio usurpatur, *s* extrema in monosyllabis sicut in polysyllabis adulteratur.

arbos Virg.	*arbor*
honos	*honor*
**labos* Sall.	*labor*
lepos Lucr.	*lepor*
**melios Carm. sal.*	*melior*
**odos* Plaut.	*odor*
decus (quod ornat)	*decor* (quod decet)
**robus* Cato	*robur*
vetus	**veter* Var. VII, 8.

Ex his videtur linguam nonnunquam inter *r* et *s* haesitasse : namque non solum formas cum *s* et cum *r* simul servavit, ut *arbor* et *arbos*, *labor* et *labos*, *lepor* et *lepos*, *pulvis* et *pulver*, *vomer* et *vomis*, *honor* et *honos*, — quod vocabulum etiam ab optimis scriptoribus voci *honor* praefertur — sed etiam formis recentioribus cum *r* rejectis, tantum vetustiores flexiones in *s* desinentes retinuit, ut *cinis*, *cucumis*, *vetus*[1]. Igitur post quoddam temporis spatium, ut verisimile est, postquam *s* media in *r* jam non mutata fuit, *s* extrema quoque *r* mediae assimilari desiisse videtur.

Caeterum haec assimilatio non ubique aeque facta fuit ; nam si vocabula, quae supra proferuntur, inter se conferas, videbis eam potissimum post *r* reperiri ; contra, *u* vocali praecedente, *s* plerumque perstat, post *i* etiam nunquam in *r* vertitur. Nullum quoque vocabulum invenitur, in quo, *s* media non mutata, *s* extrema in *r* transeat. Quamobrem vox *quirquir*, quae in Varrone occurrit[2] mihi non pro *quisquis*, sed pro *quidquid*, *d* in *r*, ut infra videbimus, versa, esse videtur.

Litterae *s* in *r* transitio, ut ex his apparet, in lingua latina communis mutatio est ; sed quo tempore est facta ? Vocabulum *Veturi* quod in Carmine saliari reperitur, ostenderet, si pro certo haberi posset, hanc mutationem mature in usum venisse ; attamen quum voces quaedam, in quibus *s* perstabat, Varrone testante, in eodem carmine occurrerent, conjici potest longe abesse ut haec conversio, si jam usitata esset, totam declinandi rationem pervasisset. Vox *Veturius* quoque, quae, juxta *Vetusius*,

1. Burnouf, *Gramm. latine*, 7ᵉ ed., p. 12. — Cf. Bailly, *Manuel des racines grecques*, 94.

2. *De lingua latina*, VII, 8.

Olla veter arbos, *quirquir* est.....

Caeterum liquet primum *s*, quam eam *q* sequatur, in *r* non transire posse ; *s* verbi *quis* etiam non mutari potest, quia post *i* atque in monosyllabo reperitur.

ut supra dixi, in Livio invenitur, fidem faceret, si etiam certa credi posset, jam annis CCLXII post Romam conditam *s* litterae in *r* transitionem usurpari coepisse. Quod quum Cicero de L. Papirio Crasso affirmat, hunc primum Papisium vocari desiisse, plane verius sit, certam hic habemus temporis notam : nam quum Crassus dictator cum L. Papirio Cursore, magistro equitum [1], factus sit, annis post Romam conditam CCCCXV, inde sequitur ut seculo quarto ante Christum natum *s* litterae in *r* mutatio usu communi facta fuerit ; atque credi potest *s* mediam in omnibus vocabulis, in quibus in *r* transiit, jam in hanc tremulam mutatam fuisse.

DE RHOTACISMO IN OSCA SABELLICAQUE DIALECTO.

Rhotacismus in osca dialecto raro invenitur, atque hic sermo periisse videtur, antequam illa mutatio perfecta fuisset. Etenim dum *s* media radicis in latina lingua inter vocales saepissime in *r* transit, ea in osca dialecto perstat, ut :

aas-ai	lat. ar-ae
Fluus-ai	Flor-ae

Item in sabellica dialecto :

as-um	lat. ar-am
fas-ena Vel. Longus	ar-ena
Flus-are	Flor-ali

S perstat quoque in syllaba *as*, ut :

osc. *flus-as-iais*	flor-ar-iis
sab. *Leb-as-ius*	Lib-er-ius, etc. [2]

In flexione *s* mediam etiam vetustiora monumenta servant, ut :

eis-eis, *eis-ai*, *eis-ei*, *es-ei*, *eis-ak*, εσ-οτ

dum tabula Bantina recentior eam in *z* versam ostendit, ut : *eiz-eis*, *eiz-eic*, *eiz-uc* (juxta eis-ucen), *eiz-ak*, *iz-ik*, etc.

Caeterum inter vocales *s* flexionis, sicut in gothica lingua, plerumque in *z* mutatur, ut :

α) In genitivo plurali thematum quae in *a* vel *o* desinunt :

egma-zum	(causarum)
eiga-zun-c	(earum), etc.

1. Cic. *Epist. fam.* IX, 21. — Cf. Corssen (id. I, 237), qui Papirium Cursorem cum Papirio Crasso mihi confudisse videtur.

2. Corssen, id. I, 102, 229, 379, 696.

β) In infinitivo verbi *es-se* :

ez-um umb. er-om lat. es-se

Attamen *s* in *esuf* (praedium), quod ex eadem radice oritur, perstitit.

γ) Reperitur quoque *s* in *z* versa in futuri flexione a radice *as* ducta, ut :

cens-azet lat. cense-bunt [1].

Contra in tertia persona singulari in qua, vocali extrita, *s* spirantem *t* sequitur, illa perstat, ut : *deiv-āst* (jurabit), *her-est* (volet), *did-est* (dabit), non aliter in futuro exacto : *dic-ust* (dixerit), *hip-ust* (habuerit), *f-ust* (fuerit).

Attamen invenitur *hafi-ert* (habebit), in quo vocabulo *s* in *r* est mutata, juxta quidem *hapi-est*, quod Tabula Bantina ostendit. Hoc rhotacismi exemplum fidem facit vocalem tantum post mutationem spirantis *s* excidisse, dum in *hapi-est* atque in caeteris vocabulis, in quibus *s* perstat, vocalis, ante hanc spirantem in *r* versam, effluxit.

Hafiert primum rhotacismi exemplum praebet ; haec soni depravatio in passivi conjugatione etiam reperitur, in qua *s* syllabae *se*, sicut in latina lingua, quamvis extrema facta, in *r* vertitur, ut :

osc. *sakara-ter* lat. sacra-tur
sab. *feren-ter* fer-untur [2].

In extremis autem vocabulis *s* primitiva non solum perstat, sed etiam per *ss* saepe notatur, ut : *ceus* (civis), *ekass* (has), *viass* (vias).

DE RHOTACISMO IN UMBRICA DIALECTO.

I. *Rhotacismus in mediis vocabulis*.— In umbrica dialecto, omnibus ejus linguae aetatibus, quae quidem nobis notae sunt, *s* media, quum vocum radicis pars est, inter vocales semper perstitit, ut :

asa lat. ara
osatu orato.

S perstat etiam in syllaba *as*, ut in

1. Cf. H. Bruppacher, *Versuch einer lautlere der oskischen sprache*, in-8, Zurich, 1869, p. 74.— E. Enderis, *Versuch einer Formenlehre der oskischen Sprache*, in-8, Zurich. 1871, passim.
2. Bruppacher, id. 73 et 76. — Corssen, id. I, 237.

plen-as-ier lat. plen-ar-iis [1].

Contra *s* media, quum flexionis pars est, inter vocales, sicut in latina lingua, in *r* vertitur :

α) In genitivo plurali thematum quae in *a* vel *o* desinunt, ut : *çersia-ru, hapina-ru, menza-ru* (mensarum), *pracatarum.*

β) In infinitivo praesenti verbi *esse* atque in temporibus, in quibus radix *es* reperitur, ut :

er-u, er-om	lat. es-se
stahe-ren	(stabunt) [2].

γ) Quum pronomini in *s* desinenti quaedam flexura pronominalis etiam adjicitur, ut :

er-ek	hic-ce
er-ont	i-dem
erir-ont	iis-dem
pur-e	quicumque pl.

Excipienda est vox *pis-i* (quicumque) sing.

δ) *S* media quoque in *r* transit in passivi conjugatione, ubi quidem extrema, vocali extrita, facta est, ut :

emantur	(sumantur)
terkantur	(tergeantur) [3].

II. *Rhotacismus in extremis vocibus.* — Dum *s* extrema semper in osco sermone atque plerumque in latina lingua perstat, ea in umbrica dialecto saepissime in *r* vertitur. Haec mutatio usurpatur :

α) In genitivo singulari omnium declinationum, ut :

Totar Ijovinar — juxta Totas Ijuvinas —	(urbis Iguvinae)
numer tupler	(nummi dupli)
popler anferener	(populi circumferendi)
farer	(farris)
nomner	(nominis)
trifor	(tribus), etc.

Attamen invenitur *Kapres* (capri) :

β) In nominativo plurali omnium declinationum, ut :

ivengar	(juvencae)

1. Cf. Corssen, id. I, 229. — Ch. Aufrecht und A. Kirchhoff, *Die umbrischen Sprachdenkmaeler*, I, 103.

2. *Benuso* quoque excipiunt Aufrecht und Kirchhoff, quibus hoc vocabulum *venerunt* significat; Bugge autem (Kuhn's *Zeitschrift*, XXII, 5, 416) ostendit *venerunt* in umbrica dialecto *benes* non *benuso* sonaturum fuisse; *benuso* autem tertia persona singularis futuri exacti passivi esse videtur.

3. Vel, ut Huschke declarat, videant, cf. δέρκομαι.

motar	(multae)
anglar-juxta urtas-	(urtae)
çersnatur	(cenati)
Iovinur	(Iguvini), etc.

δ) In dativo et ablativo plurali thematum quae in *a* vel *o* desinunt, ut :

plenasier	(plenariis)
urnasier	(urnariis)
sehmenier dequrier	(semestribus decuriis)

— juxta quidem *sehmenies tekuries*.

ε) In activi secunda persona singulari, si quid ex uno exemplo *sir* (sies) concludi possit. Proferebatur quoque *ferar* pro *feras*, sed Bugge in hoc verbo passivum *feratur* videt.

Contra *s* extrema perstat in dativo ablativoque plurali thematum quae in *i* desinunt, ut :

aveis	(avi-bus)
fratrus	(fratri-bus).

Nonnunquam autem *s* extrema ipsaque, quamvis rarius, *s* media in *f* etiam mutari potest, quod, ut Bugge probavit[1], potissimum fit, quum *s* extrema pro *ns* usurpatur, ut :

abrof	pro *apros vel *aprons
avef, avif	aveis, lat. aves
eaf	eas
traf	trans
Çerfe	Çerso, Kerĕso
trahvorfi	*travorsi, lat. transversim.

Eadem mutatio quoque in aliis Italiae dialectis reperitur, ut :

volsc. *asif*	pro asis, lat. aris[2].

Usurpatur etiam in quibusdam romanis linguis, atque eam in maurianensi Sapaudiae dialecto usitatam esse ostendi[3].

III. *Litterae d in r (rs) mutatio.* — In dialectis italicis non solum spirans *s*, *d* etiam in *r* verti potest. Umbrica dialectus sonum quemdam inter *s* et *r* medium possidebat, qui in litteratura vernacula per *q*, in latina autem recentiorum Iguvini tabularum litteratura per *rs* (ṙ) notabatur. *D* autem in hunc sonum transiit, ut :

α) pro consonante :

1. Kuhn's *Zeitschrift*, XXII, 5, 418.
2. Cf. Corssen, id. I, 229.
3. C. Joret, *Du C dans les langues romanes*, 212.

aṛveitu	lat.	advehito	*aṛkani*	lat.	accinere
aṛfertur		adfertur	*aṛputrari*		arbitrari

β) inter duas vocales :

Akeṛunie	lat.	Aquilonia	*peṛ-e*	osc.	pid
caleṛuf		callidus	*piṛ-e*	lat.	quid
eṛ-ek	osc.	id-ik, lat. id	*teṛ-ust*		dederit
kapiṛus		capidibus			

γ) In vocis *ad* exitu :

asam-aṛ	ad aram

Sed hic sonus inter *r* et *s* medius tandem tremulae *r* prorsus assimilatus fuit, sicut ex inscriptionibus cernitur; ut :

arveitu	juxta *aṛveitu*	advehito
arfertur	*aṛfertur*	adfertur[1].

In priscis latinae linguae monumentis etiam haec litterae *s* in *r* mutatio saepe usurpatur; « antiquissimi pro *ad* frequentissime *ar* ponebant, » inquit Priscianus[2]. Ejus depravationis exempla potissimum in senatusconsulto de Bacchanalibus reperiuntur; non raro quoque, ut quidam alii ἀρχαισμοί, in libro Catonis *De re rustica* occurrunt; *ar* etiam pro *ad* in Plauto, sed solum in quibusdam exemplis invenitur. Haec autem mutatio potissimum pro *v* vel *f* usurpatur, ut :

arvenas	Prisc. I, 45	pro advenas
arventores	id.	adventores
arvocatos	id.	advocatos
arvolare	id.	advolare
arvorsus	Vel. Long. 2232 P.	advorsus
arvorsarius	*C. I. L.* I, 198	advorsarius
arvehant	Cato, *R. rust.* 138,1	advehant
arvectum	id. id. 135,7	advectum
arfines	Prisc. I, 45	adfines
arfari	id.	adfari
arfuisse	*C. I. L.* I, 196	adfuisse

Rarius pro mutis occurrit, reperitur tamen in

arcesso	Prisc. I, 45	pro ad-cesso
arger	id.	*ad-ger, agger
arbiter	id.	cf. ad-bitere

Inter duas vocales quoque usitata erat, ut :

meridies	pro medidies, Var. *L. lat.* VI, 4
Larinum	Ladinum, *C. I. L.* I, 24

1. Cf. Corssen, id. I, 240.
2. *Gram. latini*, K. I, 45.

peres	Eckst. *Anecd.* 26	pedes
Siricinum	Lachm. 223	Sidicinum

In extremis vocibus etiam in usum venit, ut :

apor	Fest. p. 26	pro apud
ar	Prisc. I, 45	ad [1].

Posterius tremulae *r* muta *d* fuit anteposita ; quamobrem *r* tantum in *arbiter, arcesso, meridies, d* in caeteris vocabulis servata, perstitit. Sed harum litterarum permutatio mihi etiam ostendere videtur, tremulam *r* in latina lingua primum dentalem fuisse, ut ex spirantis *s* transitione in eam jam conclusi.

DE RHOTACISMO IN ROMANIS LINGUIS.

Vidimus litterae *s* in *r* mutationem, post quoddam temporis intervallum, latina in lingua desiisse; res per totam aetatem qua viguit ita permanserunt; sed, dictu dignum, dum sonorum depravationes, quae in hujus linguae formatione apparuerunt, posterius immotae, aetate qua ea corrumpi coepit, vim novam, ut ita dicam, sumpserunt, contra *s* in *r* transitio illa tempestate non usurpata fuit, atque dialecti, quae romanae dicuntur, tantum pauca ejusdem exempla ostendunt. Quod etiam est notandum, plerumque non inter vocales, sed ante nasalem vel liquidam rhotacismus in his idiomatibus usitatus est [2], ut :

α) In italica lingua:

ciurma	κελεύσμα, hisp. chusma
orma	ὀσμή.

β) Hispanica autem in lingua dubium :

llardrado Ap. 63, 1 pro lazdrado (laceratus)

solum reperitur.

γ) Contra in lusitanico sermone invenitur :

churma	κελεύσμα
cirne	pro cisne hisp. (cygnus).

In catalaunensi dialecto haec mutatio usurpatur pro *m* in

fantarma phantasma

atque inter duas vocales in

llirimaquia lysimachia

δ) In provinciali autem lingua rhotacismus frequentius reperitur, ut ante *m* vel etiam *v* sive *g* in :

1. Corssen, id. I. 238.
2. Cf. Diez, *Gramm. der romanischen Sprachen*, I, 239.

almorna	pro	eleemo*s*yna
azermar		aze*s*mar
Ermenda		E*s*menda *Chx.* IV, 70
gleisargue		(ec)-clesia*s*ticus
varvassor		va*s*vassor (vassallus).

Non raro in hac dialecto *s* inter vocales in *r* transit, ut :

gleira	glei*s*a (ec-clesia).

In quarti decimi seculi monumentis *r* etiam pro sonora *s* (*z*), quae e *c* vel *d* mutata oritur, usurpatur; ut in *Evangelio Infantiae* :

aurires (*au*d*ire habetis)	Bartsch,	*Chrest.*	377, 11
farian (faciebant)	id.	id.	377, 20
ferem (fecimus)	id.	id.	378, 25

ε) Tandem gallica in lingua reperiuntur :

marle Barl. p. 182, 32	pro	ma*s*le (masculus), pic. *merle* [1]
almorne v.		eleemo*s*yna
merler		me*s*ler
varlet		va*s*let (vassallettus) [2].

Ex his cernitur quam rara ad summam rhotacismi exempla romanis in linguis occurrant; quod forsan inde venit ut in plerisque earum, excepta quidem provinciali dialecto, nulla *r* dentalis sit. Sed, quod est notandum, in gallica lingua contraria sonorum adulteratio, id est *r* tremulae in spirantem *s* mutatio, in quibusdam vocabulis usitata est. In conjunctione *rs* vulgaris latinus sermo hanc depravationem jam ostendit : « Sic et *dossum* per duo *s* quam per *r* *dorsum* quidam ut levius enuntiaverunt, » inquit Velius Longus [3]. In inscriptionibus etiam reperiuntur *prossum*, *quossum*, *russum* pro *prorsum*, *quorsum*, *rursum*, etc. [4] E vulgari autem eloquio haec soni adulteratio in romanas linguas pervasit, ut :

aversus	—	hp. *avieso*	pg. *avesso*	pr. *ves*	—
dorsum	it. *dosso*	—	—	gal. *dos*	rom. *dos*
morsus	*muso*	*mueso*	—	—	—
sursum	*suso*	*suso*	—	(*des*)*sus*, etc. [5]	

1. Occurrit quoque mea sententia hoc vocabulum in normanna dialecto; dicitur enim : *c'est un beau merle*, in qua vulgari elocutione *merle* e *merula* non trahi potest, quum *merula* *melle* nec *merle* in hoc idiomate dederit.

2. In conjunctione *ss* prima *s* in gallica lingua etiam in *r* vertitur in *Marseille* (Massilia), *orfraie* (ossifraga).

3. *Gramm. veteres*, P. 2237.

4. Cf. Corssen, id. I, 243. — 5. Cf. Diez, id. I, 225.

Attamen litterae *r* in *s* mutatio latina in lingua tantum ex hac sonorum assimilatione constat; contra gallico in idiomate etiam inter vocales usurpatur, ut in

besicle	pro	bericle (*beryclus)
chaise		chaire, norm. quaire (cathedra)
plusieurs		plurieurs (*pluriores)
poussière		pourrière (*pulveraria)
rosée, arroser		rorée, ar-rorer (*rorata, *ad-rorare)

Haec autem sonorum depravatio, quondam frequentior, fine quindecimi vel sedecimi initio seculi usurpari cæpisse videtur. Anno 1530 Palsgravius eam ut Parisiensium pravum usum notabat [1]. « Parisienses, inquit quoque Theodorus a Beza [2], ac multo etiam magis Altissiodorenses et mei Vezelii simplicem *r* etiam in *s* vertunt, ut *Masie*, *pese*, *mese*, *Theodose* pro *Marie*, *pere*, *mere*, *Theodore*. » Has peculiares formas quaedam dialecti retinuerunt; sic in quadam Campaniae parte nunc quoque auditur : *écuzie*, *frèze*, *mèze*, *pèze*, etc., pro *écurie*, *frère*, *mère*, *père*, etc. [3] Nuper eadem adulteratio in blesensi dialecto etiam notabatur [4].

CAPUT TERTIUM.

DE RHOTACISMO IN GERMANICIS LINGUIS.

Linguarum germanicarum familia e gothico ac vetustiore theotisco, diutisco vel teutonico idiomate, quod superius inferiusque dicitur, — quo ultimo nomine vetus saxonica, vetusque

1. *Lesclaircissenent de la langue francoise*, p. 34 : « *r* in the frenche » tonge shal be sounded as he is in latyn without any exception, so » that, where as they of Paris sounde sometyme *r* lyke *z*, sayeng *pazys* » for *parys, pazisien* for *parisien, chaize* for *chaire, mazy* for *mary* and » suche lyke, in that thing I wolde not have them folowed. »

2. P. 34, cité par Diez, id. I, 454.

3. Tarbé, *Dialectes de la Champagne*, I, 170.

4. F. Talbert, *Du dialecte blésois*, p. 214 : « Dans les terminaisons en » *ère, oire*, l'*r* dans la campagne blaisoise se prononce généralement » comme un *z*; ex. *père, mère, arrière, lardoire, foire*, etc. se prononcent » *pèeze, mèeze, arrièze, lardouèze, fouèze.* — Ainsi nos paysans disent » ordinairement : *une pouèze meuze* pour *une poire mûre*, *écrize* pour » *écrire*, etc. »

frisiana atque anglosaxonica, in Britanniam a Saxonibus illata, dialectus indicatur, — tandem e norraeno, septentrionali islandicove, quo Scandia utitur, sermone constat. Gothica autem lingua prorsus evanuit, nec ullum aliud genuit idioma; non ita de reliquis quinque linguis. Sic vetustior theotisca dialectus superior mutata media superior est facta, unde recentior theotisca lingua oritur; non aliter vetustior saxonica dialectus, medio aevo mutata, illud quod *platt deutsch* vulgo dicitur, idioma genuit; e vetustiore autem frisiana dialecto idioma, quo Batavi utuntur, natum est; tandem anglosaxonica dialectus, postquam, Britannia a Germanis occupata, mutata romanisque cum vocabulis mixta fuit, gradatim vetustior, dein media ac denique recentior anglica facta est lingua. Simili modo e norraeno idiomate, cujus caeterum monumenta recentiora sunt, danica atque suecica lingua oritur.

Rhotacismum idiomata e quibus primum germanicarum familia linguarum constabat, non aequaliter usurpant; haec enim mutatio gothicae ignota tantum in caeteris quinque dialectis, diversibus tamen gradibus, reperitur. Itaque in indagatione quam aggredior ea mihi in quaque earum ac quaque aetate erit persequenda. Praeterea quum in radice vel in flexione haec adulteratio fieri possit, oportet eam singillatim in his duabus vocabulorum partibus inquiram, atque in flexione perpendam, quae ea in substantivi adjectivique vel pronominis declinatione, sicut in verbi conjugatione, fuerit.

I. Rhotacismus in radice.

In germanicis linguis sicut in italicis dialectis *s* littera, quae vocum principalis est, semper perstat[1], ut:

got. *sibun*	scr. *saptan*	lat. *septem*
got. *sitan*	scr. *sad-*	lat. *sedere*
got. *speivan*	scr. *sthiv-*	lat. *spuere*
got. *svaihro*	scr. *çvaçrūs*	lat. *socrus*, etc.

Itaque in rhotacismi inquisitione supervacuum est de *s* principali disserere, atque satis erit indagare quas mutationes *s* in

1. Non continuo in vocum principio *s* semper immutata perstat; nam primum ante *m, n, l* vel *w*, postea ante *p* et *t* eam in ž (*sch*) recentior teutonica lingua mutavit; ut *schlaf, schmerz, schneiden, schwein*, utque *sprechen, stehen* (lege *schprechen, schtehen*). Cf. Westphal, *Philosophisch-historische Grammatik der deutschen Sprache*, p. 80. — Grimm, *Deutsche Grammatik*, I², 144.

mediis vel extremis vocabulis patiatur. Attamen in his etiam non semper adulteratur ; etenim ante consonantes surdas semper immutata perstat, ut :

got.	teut.	sax.	angs.	fr.	nor.
fisks	*visk*	*fisc*	*fisc*	*fisc*	*fiskr*
gasts	*gast*	*gast*	*gist*	—	—
rasta[1]	*raste*	*rest*	*raest*	—	*röst*, etc.

Post omnes consonantes, *r* excepta, *s* media vel extrema etiam plerumque perstat, ut :

	hals	*hals*	*hals*	*hals*	*hals*	*hāls*
lat.	*ans-er*	*gans*	—	*gōs*	—	*gās*
	auchsa	*ochs*	*ox*	*ox*	—	*oxi*
	vahsjan[2]	*wahsan*	*vahsan*	*veaxan*	*waxa*	etc.

Ante sonoras *l*, *m*, *n*, *v*, *g*, in gothica lingua *s* plerumque in *z* mutatur ; contra in caeteris dialectis, ante sonoras, *d* excepta, *s* semper perstat, ut :

azgō	*ascā*	*aesc*	*aesc*	—	*aska*
razno[3]	—	—	*räsn*	—	*rann-r*

In gothica lingua post sonoras *s*, quum quidem media est, interdum in *z* etiam vertitur, ut in

anza (trabi)	teut. *ans*	nor. *ās*
mimz- (caro)	cf. scr. *māmsa-*	
talzjan (docere)	teut. zeljan	nor. telja[4]

Post *r*, in gothica dialecto *s* etiam plerumque in *z* transit, sed in caeteris dialectis, norraena quidem excepta, sicut in latina lingua, *r* praecedenti haec spirans assimilatur, ut :

got. airzjan	teut. *irrōn*	sax. *irrian*	
marzjan[5]	teut. *marrjan*	sax. *merrian*	angs. *merran*

In sequentibus vocabulis *s* in gothica dialecto perstat, sed in caeteris dialectis semper *r* tremulae assimilatur :

got. daursan	teut. *turran*	sax. *durran*	angs. *durran*
þaursjan[6]	*dorrēn*	*þorrōn*	—

Attamen in teutonico *hirso* (milium) *s* post *r* perstat ; perstat quoque in anglosaxonico et frisiano sermone, quum conjunctio *rs* non primitiva est, sed e litterae *r* permutato ordine oritur, ut :

1. *Piscis, hostis, quies.*
2. *Collum, anser, bos, crescere.*
3. *Cinis, domus.* — In norraeno *rannr*, *s* sequenti *n* assimilatur.
4. Leo Meyer, *Die gothische sprache*, p. 152. — Grimm, *Deutsche Grammatik*, I², 55.
5. *Errare, impedire.*
6. *Audere* (θάρσειν), *arescere.* þ, *þ th*, *ð*, *ð* autem *dh* significant.

got. gras angs. *gärs* fr. *gers*

Invenitur quoque angs. *hors* (equus), *cerse* (nasturtium); sed in his vocabulis *s* pro *ss* usurpatur. Cf. teut. *hros* pro *hross* et *chrëssa*.

Norraena etiam in dialecto *rs* conjunctio, quae quidem rarior est, saepe perstitit vel etiam, *s* spiranti tremula *r* assimilata, in *ss* transiit, ut :

bersi (ursus)	juxta *bessi*
fors (καταῤῥάκτης)	*foss*
hiarsi (caput)	*hiassi*
þurs (gigas)	*þuss*

In recentioribus monumentis *z* quoque in locum *rs* substituitur, ut :

stoeztr (maximus)	pro *stoerstr*
veztr (pessimus)	*verstr*

Attamen conjunctio *rs* gothica in *vairsiza* (pejor), quae in caeteris dialectis immutata perstat, in norraena in *rr* mutatur, ut: got. vairsiza, teut. virsiro, sax. virso, angs. vyrsa, n. *verri*; *rs* vocabuli *þaursus* (torridus) in *rr* etiam in norraeno *þurr* mutatur; sed in norraeno *thora*, sicut in frisiano *thura*, conjunctio *rs* ad tremulam *r* reducta est [1].

Quum autem *r* sequitur, *s* quoque in *r* transire potest, ut in teutonico *Werra* pro *Wes(e)ra*.

Conjunctio spirantis *s* (*z*) cum sonora *d* maxime notanda est; in ea gothica dialectus *s* in *z* mutat, caeterae autem dialecti eam in *r* vertunt, excepta quidem norraena lingua, quae *s* spirantem mutae *d* assimilat, sicut in *rann-r* *s* sequenti *n* similis facta est, ut :

got.	teut.	sax.	angs.	nor.
(bruzd)	*prort*	—	*brord*	*brodd-r*
gazd	*gart*	—	—	*gadd-r*
huzd	*hort*	*hord*	*hord*	*hodd-r*
mizdō	miatā	mēda	*meord*	—
razda	*rarta*	*reord*	*reord*	*rödd-*
(uzd) [2]	*ort*	*ard*	*eard*	*odd-r*

In conjunctionibus *rs* et *sd* litterae *s* in *r* mutatio, ut videmus, in plerisque germanicis dialectis reperitur ; inter vocales

1. M. Heyne, *Laut-und Flexionslehre der altgermanischen Dialecte*, p. 139. — Wimmer, *Altnordische Grammatik*, p. 23.

2. *Punctum, aculeus, thesaurus*, μισθός, ῥητόν, *cuspis*. Cf. Grimm, *Geschichte der deutschen Sprache*, I², 220. — Id. *Deutsche Grammatik*, I³, 55, 267, etc.

quoque saepissime usurpatur. In gothica autem lingua *s* media, quum radicis pars est, inter vocales plerumque immutata perstat vel rarius in *z* mutatur, ut :

asilus (asinus)	et	*azets* (facilis)
lasivs (debilis)		*hazeins* (laus), etc.

nunquam vero in *r* vertitur. Igitur in hoc idiomate *s* et *r* primitivae, quas caeterae dialecti frequenter miscent, plane discernuntur, ut :

asans (messis)	juxta	*arans* (aquilae)
basi (bacca)		*baris* (hordeum)
gazds (κέντρον)		*gards* (οἶκος)
kas (vas)		*kara* (cura)
reisan (excitare)		*reiran* (tremere)
vasjan (vestire)		*varjan* (impedire), etc.

Attamen in compositis in quibus *s* extremam r sequitur, huic tremulae *s* praecedens assimilatur, ut :

ur-rēdan (judicare)	pro	us-rēdan
ur-reisan (surgere)		us-reisan
ur-rinnan (exire)		us-rinnan, etc.

Dum in gothica lingua *s* radicis ita perstat vel nonnunquam in *z* transit, in caeteris germanicis dialectis ea perstat vel in *r* vertitur [1]. In multis tamen verbis *s* immutata manet, ut :

	got.	teut.	sax.	angs.	fr.	nor.
	agis	*egisa*	*egiso*	*egesa*	—	—
	asilus	*esil*	*esil*	*esol*	—	*asni*
	blēsan	*plāsan*	—	—	*blāsa*	*blāsa*
	(*brūsan*)	*brūsan*	—	—	—	*brūsa*
	driusan	*dreosan*	*driosan*	*dreósan*	—	—
	friusan	*freosan*	*freosan*	*freósan*	—	*frjōsa*
	—	*hasal*	—	*häsel*	—	—
	kiusan	*kjōsan*	*ciosan*	*ceósan*	*kiása*	*kjōsa*
	lausjan	*lāsjan*	*lōsian*	*lȳsan*	*lēsa*	*leysa*
	lisan	*lësan*	*lesan*	*lesan*	*lesa*	*lesa*
lat.	*nasus*	*nasa*	*nasu*	*nose*	—	*nös*
	reisan	*rīsan*	(*ā*)*risan*	*risan*	*risan*	*rīsa*
	þūsundi	*dūsunt*	*þūsund*	*þūsend*	*þūsend*	*þūsand*

1. Cf. Grimm, *Deutsche Grammatik*, I², 52, 99, 137, 175, 182, etc. — Id. *Geschichte der deutschen Sprache*, I², 220. — Ulfilas, v. M. Heyne, passim. — W. Wackernagel, *Altdeutsches Lesebuch*, passim. — M. Rieger, *Altsaechsisches Lesebuch*, passim.— Fr. Pfeiffer, *Altnordisches Lesebuch*, passim. — J. Zupitza, *Altenglisches Lesebuch*, passim.

veisjan	*wīsjan*	*wīsian*	*wīsian*	—	*vīsa*
veisōn[1]	*wīson*	*wīsōn*	—	—	etc.

S autem media in *r* mutatur in sequentibus vocabulis :

ais-	*ēre*	*ēra*	*ār*	*ēre*	
asans	*aren*	—	—	—	—
auso	*ōra*	*ōra*	*eare*	*āre*	*eyra*
basi	*peri*	—	*berie*	bes	*ber*
eisarna	īsarn	īsarn	*iren*	isern	*isarn*
(grus)	grūsen	*gruri*	*gryre*	—	—
—	haso	*hara*	*hara*	—	*hëri*
hausjan	*hōrjan*	*hōrean*	*hēran*	*hēra*	*heyra*
hazjan	—	—	*hērian*	—	*hroera*
hrisjan	*hrōrjan*	*hrōrjan*	*hreran*	—	—
laisjan	*lēran*	*lērian*	*laeran*	*lēra*	—
nasjan[2]	*nerjan*	*nerean*	*nerien*	*nera*	—

Infra videbimus, quum de conjugatione agetur, linguam nonnunquam inter *s* et *r* quasi haesitasse, atque eis aeque usam fuisse; ut teut. *nerjan* et *nisan* (salvare), *kiosan* et *küren* (eligere), etc. Interdum etiam *s* diu servata tandem in *r* transiit : sic *freosan* v. teut. *frieren* r. teut., atque *jësan gähren* tandem est factum. Contra, *r* rejecta, lingua nonnunquam denique *s* praetulit : sic *lësan*, quod in media theotisca lingua *lāren* (legīmus), *laere* (legerim), *geleren* vel *gilarn* (lectum) dedit, nunc tantum formas *lasen*, *laese*, *gelesen* habet.

In extremis vocibus *s* radicis in gothica lingua semper perstat, vel ante vocabulum a vocali incipiens raro in *z* vertitur ; in caeteris autem germanicis dialectis haec spirans perstat vel in *r* transit. In sequentibus vocibus perstat, ut :

(*eis*)	*īs*	*īs*	—	*īs*	*īs*
gras	*gras*	*gras*	*gres*	*gears*	*gras*
—	*hros*	*hors*	*hors*	*hers*	*hros*
hūs	*hūs*	*hūs*	*hūs*	*hūs*	*hūs*
laus[3]	*lōs*	*lōs*	*lōs*	—	etc.

In sequentibus autem vocabulis *s* in *r* vertitur :

got.	teut.	sax.	angs.	fr.	nor.
ahs	*ahir*	*aroh*	*earh*	*ear*	ax

1. *Terror, asinus, sufflare, mugire, cadere, gelare, corylus, eligere,* λύειν, *legere, excitare, mille, monstrare, visitare,* etc.

2. *Honor, messis, auris, bacca, ferrum, horror, lepus, audire, laudare,* κρού(σ)ω, *docere, servare.* Cf. Grimm, *Deutsche Grammatik*, I², 52, 137, 182, 204, 266.

3. *Glacies, gramen, equus, domus, laxus.*

aiz-	*ēr*	*ār*	*aer*	*āer*	*eyr-i*
(bius)[1]	*bier*	—	*beer*	—	—
dius	*tior*	*dier*	*deór*	*diár*	*dȳr*
drus	*tror*[2]	*dror*	*dreór*	—	*dreir-i*
gais	*kēr*, *gēr*	*gēr*	*gār*	—	—
haiz-	*hēr*	*hēr*	*hēr*	*hār*	*hār*
kas	*kar*	—	—	—	*ker*
mais	*mēr*	*mēr*	*ma(r)*	*mā*	*meir*
raus	*rōr*	—	—	—	*reyr*
us[3]	*ur*	*ur*	*or*	*or*	*or*

Ex his cernitur *r* extremam nonnunquam excidere, ut in *mā* angs. (magis). Pronominum declinatio plura quoque *s* mediae excidentis exempla, ut videbimus, offert. In derivatis autem consonans extrema syllabae *ar* pro *or* etiam in saxonica anglo-saxonicaque dialecto excidit, atque haec praepositio ita ad *ā* est reducta. In conjunctione *zd* pro *sd*, *s* media quoque in saxonico *miata*, angsax. *mēda* (merces) effluxit.

Caeterum in derivatis, in quibus *s* simplicium, in *r* versa, ante surdam ponitur, haec spirans immutata perstat; sic dicitur :

teut.	*frost* (gelu)	juxta *frieren* (gelare)
	verlust (perditio)	*verlieren* (perdere)
	tursta (audebat)	*turran* (audere)

Idem reperimus in latina lingua, ut *funestus*, *scelestus*, *venustus*, etc., juxta *funeris*, *sceleris*, *veneris*, etc.

Ex exemplis quae praecedunt apparet *s* mediae vel extremae mutationem, quum haec spirans radicis pars est, plerumque non certis legibus regi ; in flexione autem *s* media in gothica lingua, sicut in osca dialecto, semper in *z* mutatur, in caeteris germanicis idiomatibus, sicut in latina lingua, semper in *r* transit, solum *s* extrema mutationes varias ut in variis dialectis patitur.

II. Rhotacismus in flexione.

Haec mutatio singillatim in substantivi, adjectivi et pronominis declinatione, deinde in verbi conjugatione est persequenda.

1. Cf. lit. *pivas*, scr. *pibāti* (bibit). — L. Meyer, id.
2. *Stilla* potissimum sanguinis, unde *sanguinem* etiam hoc verbum significat.
3. *Spica*, *aes*, *cervisia*, *fera*, *casus*, *gaesum*, *splendens*, *vas*, *magis*, *arundo*, *ex*. — Cf. W. Wackernagel, id. — Rieger, id. — Pfeiffer, id.

1° *Substantivi declinatio.*

Quatuor in germanicis linguis declinationes e quatuor thematis nominalis terminationibus *a, i, u* et *n* exstant; tres primae communi nomine fortes, quarta autem debilis dicitur. Hae declinationes in gothica lingua, — vocativo omisso, qui in caeteris germanicis linguis non reperitur, — sequentes formas habent[1] :

α) Thematum quae in *a* desinunt declinatio. — Thema masc. *fiska* (piscis), fem. *gibā* (donum), neut. *vaurda* (verbum).

	Singularis.		
N	fisk-s	giba	vaurd
A	fisk	giba	vaurd
D	fiska	gibāi	vaurda
G	fiski-s	gibāi-s	vaurdi-s
	Pluralis.		
N	fiskō-s	gibō-s	vaurda
A	fiska-ns	gibō-s	vaurda
D	fiska-m	gibō-m	vaurda-m
G	fisk-ē	gib-ō	vaurd-ē

β) Thematum quae in *i* desinunt declinatio. — Thema masc. *balgi* (follis), fem. *ansti* (gratia).

	Singularis.	
N	balg-s	anst-s
A	balg	anst
D	balga	anstāi
C	balgi-s	anstāi-s
	Pluralis.	
N	balgei-s	anstei-s
A	balgi-ns	ansti-ns
D	balgi-m	ansti-m
G	balg-ē	anst-ē

γ) Thematum quae in *u* desinunt declinatio. — Thema masc. *sunu* (filius), fem. *handu* (manus), neut. *faihu* (pecus).

	Singularis.		
N	sunu-s	handu-s	faihu
A	sunu	handu	faiha
D	sunau	handau	faihau
G	sunau-s	handau-s	faihau-s
	Pluralis.		
N	sunju-s	handju-s	—
A	sunu-ns	handu-ns	—

1. Ulfilas, *Text. Gram. und Wœrterbuch* v. M. Heyne, p. 27 et seq.

D	sunu-m	handu-m	—
G	suniv-ē	handiv-ē	—

δ) Thematum in *n* desinentium declinatio. — Thema masc. *hanan* (gallus), fem. tuggōn (lingua), neut. *hairtan* (cor).

SINGULARIS.

N	hana	tuggō	hairtō
A	hanan	tuggōn	hairtō
D	hanin	tuggōn	hairtin
G	hanin-s	tuggōn-s	hairtin-s

PLURALIS.

N	hanan-s	tuggōn-s	hairtōn-a
A	hanan-s	tuggōn-s	hairtōn-a
D	hana-m	tuggō-m	hairta-m
G	hanan-ē	tuggōn-ō	hairtan-ē

In his declinationibus *s* tantum in singulari nominativo et genitivo atque in plurali nominativo accusativoque occurrit; in theotisca autem lingua *s* in nominativo singulari, sicut in plurali nominativo et accusativo, fortis declinationis effluxit, sed in genitivo singulari semper perstat; contra in omnibus debilis conjugationis casibus excidit; itaque in solitis substantivi theotisci flexionibus nulla *s* litterae in *r* mutatio reperitur.

Quanquam neutra quaedam, quae in singulari syllabam *as* perdiderunt atque inter themata quae in *a* desinunt numerantur, in plurali hanc terminationem in *is* attenuatam retinuerunt, cui flexiones solitae subjunguntur, ut :

nom. acc. rat-as-ā dat. rat-as-am gen. rat-as-ō

quae formae, quum *i* syllabae *is* in vocali praecedenti hanc soni adulterationem quae *umlaut* dicitur efficiat, factae sunt :

	räd-is-o	räd-is-um	räd-is-ō
cf. gr.	γέν-ε(σ)-α	γέν-ε(σ)-ιν	γεν-έ(σ)-ων

Atque postquam *s* media in *r* versa fuit :

	räd-ir	*räd-ir-um*	*räd-ir-ō*
cf. lat.	*gen-er-a*	*gen-er-ibus*	*gen-er-um*[1]

Vetustior saxonica, sicut anglosaxonica, dialectus in nominativo et accusativo plurali masculinorum thematum, quae in *a* desinunt, extremam consonantem servavit, sed eam neque in his casibus neque in genitivo singulari in *r* mutat. Non ita in vetustiore frisiana dialecto; si enim in genitivo singulari masculino

1. A. Schleicher, *Die deutsche Sprache*, 249. — Grimm, *Deutsche Grammatik*, II², 535. — M. Heyne, *Kurze Laut- und Flexionslehre der altgermanischen Dialecte* (3ª ed. 1874), p. 255.

omnium thematum *s* perstiterit, atque in nominativo accusativoque thematum, quae in *i* desinunt, exciderit, in nominativo accusativoque plurali masculinorum thematum, quae in *a* vel *u* desinunt, in *r* transiit, ut in themate *fiska* (piscis), quod sic declinatur :

	Singularis	Pluralis
N	fisk	*fiska-r*
A	fisk	*fiska-r*
D	fiska	fiska-m
G	fiski-s	fiska [1]

Declinatio autem debilis *s* extremam in omnibus casibus perdit ideoque nullam hujus litterae mutationem ostendere potest.

Rhotacismum, ut videmus, declinatio frisiana in plurali nonnunquam usurpat ; in norrensi dialecto eum quoque reperimus. In hoc sermone enim extrema *s* in nominativo singulari pluralique masculino thematum, quae in *a*, *i*, *u* desinunt, in *r* mutata, perstitit ; permansit quoque in nominativo et accusativo plurali feminino, excepto tamen accusativo plurali thematum in *i* desinentium ; contra neutra vocabula, quum *s* in omnibus casibus perdant, rhotacismum non usurpant. In genitivo autem singulari, qui in gothica lingua *s* semper habet, haec spirans in femininis trium declinationum in *r* transiit ; contra in masculinis neutrisque thematum, quae in *a* desinunt, *s* immutata perstitit, sed in thematibus masculinis neutrisque quae in *i* et *u* exeunt atque in femininis haec spirans in *r* quoque mutata est. Quum nominativus pluralis masculinorum atque nominativus et accusativus femininorum vocabulorum in debili declinatione consonantem extremam in *r* mutatam servaverit, aliud hic rhotacismi exemplum reperitur. Igitur declinatio substantivi in norraena dialecto sequentia *s* in *r* mutatae exempla ostendit.

α) Thematum in *a* terminantium declinatio. Thema masc. *fiska* (piscis), fem. *giafa* (donum), neut. *orða* (fatum) :

		SINGULARIS.	
N	*fisk-r*	giöf	orð
A	fisk	giöf	orð
D	fiski	giöf(u)	orði
G	fisk-s	*giafa-r*	orð-s
		PLURALIS.	
N	*fiska-r*	*giafa-r*	orð
A	fiska	*giafa-r*	orð

1. M. Heyne, id. 290. — Grimm, id. II², 563.

D	fiska-m	giöfu-m	orðu-m
G	fiska	giafa	orða

β) Thematum quae in *i* desinunt declinatio. — Thema masc., *bragi* (carmen), fem. *āsti* (amor).

	Singularis.	
N	*brag-r*	āst
A	brag	āst
D	brag	āst(u)
G	*braga-r*	*āsta-r*
	Pluralis.	
N	*bragi-r*	*āsti-r*
A	bragi	āsti
D	brögu-m	āstu-m
F	braga	āsta

γ) Thematum in *u* desinentium declinatio. Thema masc. *sunu* (filius), fem. *tannu* (dens), neut. [*fihu*] (pecus).

	Singularis.		
N	*son-r*	tönn	fē
A	son	tönn	fē
D	syni	tönn(u)	fē
A	*sona-r*	*tanna-r*	*fiā-r*
	Pluralis.		
N	*syni-r*	*tenn-r*	—
A	sonu	*tenn-r*	—
D	sonu-m	tönnu-m	—
G	son-a	*tenn-r*	—

δ) Thematum in *n* terminantium declinatio. Thema masc. *guman* (homo), fem. *tungan* (lingua), neut. *hiartan* (cor) :

	Singularis.		
N	gumi	tunga	hiarta
A D G	guma	tungu	hiarta
	Pluralis.		
N	*gumna-r*	*tungu-r*	hiörtu
A	gumna	*tungu-r*	hiörtu
D	gumnu-m	tunga-m	hiörtu-m
G	gumn-a	tungn-a	hiartn-a

Rhotacismus in sermonibus recentioribus, qui priscis e teutonicis dialectis orti sunt, non usurpatur; in batava lingua ipsa quae e frisiana derivatur, in qua haec soni adulteratio usitata erat, non amplius reperitur; sed in danica suecicaque linguis occurrit, quae e norraeno idiomate natae sunt; attamen hae linguae neque in nominativo singulari, neque in genitivo masculino

vel feminino hanc mutationem ostendunt; contra in plurali non solum in casibus, in quibus jam antiquitus usitata erat, perstitit, sed etiam, terminatione nominativi caeteris casibus attributa, spirantique *s* praeterea genitivo adjuncta, eam quatuor casus plurales masculinorum femininorumque vocabulorum in quatuor declinationibus usurpant, excepta tamen danicae linguae prima declinatione[1]. Neutrum autem ea non utitur. Pluralis igitur in duobus Scandiae sermonibus sic declinatur :

α) In suecica lingua :

Themata masc. *fisk* (piscis), *sūn* (*filius*), *hane* (gallus) :

N	*fiska-r*	*sœne-r*	*hāna-r*
A	*fiska-r*	*sœne-r*	*hāna-r*
D	*fiska-r*	*sœne-r*	*hāna-r*
G	*fiska-rs*	*sœne-rs*	*hāna-rs*

Themata fem. *sol* (sol), *kraft* (vis), *tunga* (lingua) :

N	*sōla-r*	*krafte-r*	*tungo-r*
A	*sōla-r*	*krafte-r*	*tungo-r*
D	*sōla-r*	*krafte-r*	*tungo-r*
G	*sōla-rs*	*krafte-rs*	*tungo-rs*

β) In danica lingua

Themata masc. *fisk* (piscis), *fōd* (pes), *hāne* (gallus) :

N	fiske	*födde-r*	*hāne-r*
A	fiske	*födde-r*	*hāne-r*
D	fiske	*födde-r*	*hāne-r*
G	fiske-s	*födde-rs*	*hāne-rs*

Themata fem. *kraft* (vis), *sāg* (causa), *tungo* (lingua) :

N	*kräfte-r*	*sāge-r*	*tunge-r*
A	*hräfte-r*	*sāge-r*	*tunge-r*
D	*kräfte-r*	*sāge-r*	*tunge-r*
G	*kräfte-rs*	*sāge-rs*	*tunge-rs*

Rhotacismus, ut videmus, in substantivorum declinatione tantum in paucis sermonibus germanicis reperitur; contra adjectivi et pronominis declinatio in omnibus eum usurpat.

2° *Adjectivi declinatio.*

Fortis et debilis declinatio, ut supra dixi, distinguitur ; sed in hac, quum *s* extremam omnes germanicae, gothica excepta, dialecti rejecerint, nullum rhotacismi exemplum praebere potest, igitur tantum de illa disseram. Adjectivum forte in gothica lingua sic declinatur. Thema *blind* (caecus) :

1. Grimm, *Deutsche Grammatik*, II², 629, 633.

	Singularis.		
N	blind-s	blind-a	blind-ata
A	blind-ana	blind-a	blind-ata
D	blind-amma	blind-ai	blind-amma
G	blind-is	blind-aizōs	blind-is
	Pluralis.		
N	blind-ai	blind-ōs	blind-a
A	blind-ans	blind-ōs	blind-a
D	blind-aim	blind-aim	blind-aim
G	blind-aizē	blind-aizō	blind-aizē

S extrema, quae in singularis terminatione est, in vetustiore theotisca dialecto immutata in genitivo masculinorum neutrorumque vocabulorum perstitit, in nominativo autem masculinorum in *r* transiit; contra in femininorum genitivo excidit; effluxit quoque in femininorum nominativo plurali, sicut in masculinorum femininorumque accusativo. *Z* autem in terminationibus *aizōs, aizē, aizō* semper in *r* transiit. Insuper quum dativus singularis femininorum in terminatione *s* litteram, quae in gothica dialecto excidit, servaverit atque in *r* mutaverit, rhotacismus ad summam in masculinorum nominativo singulari, in femininorum singulari genitivo dativoque, atque in trium generum plurali genitivo reperitur. Sequens tabula has permutationes illustrabit [1].

	Singularis.		
N	*plint-er*	plint-(j)u	plint-aȥ
A	plint-an	plint-a	plint-aȥ
D	plint-emu	*plint-ērā*	plint-ema
G	plint-es	*plint-ērā*	plint-es
	Pluralis.		
N	plint-ē	plint-ō	plint-(j)u
A	plint-ē	plint-ō	plint-(j)u
D	plint-ēm	plint-ēm	plint-ēm
G	*plint-ērō*	*plint-ērō*	*plint-ērō.*

In vetustiore saxonica et anglosaxonica friesanaque dialectis, quum *s* in nominativo singulari excidat, rhotacismus tantum in genitivo dativoque singulari atque in trium generum genitivo plurali occurrit; contra in norraena dialecto, *s* extrema in masculini nominativo singulari atque in feminini nominativo accusativoque plurali in *r* mutata, tria nova rhotacismi exempla occurrunt; praeterea diphthongo in masculini nominativo plurali

1. M. Heyne, *Kurze Laut- und Formenlehre*, 3ª ed. 261.

attenuata, substantivi terminatio *r* ei adjuncta fuit, sicque adjectivi declinatio ad summam in norraena dialecto sequentem assecuta est formam [1].

Singularis.

N	*lang-r*	löng	lang-t
A	lang-an	lang-a	lang-t
D	löng-um	*lang-ri*	löng-u
G	lang-s	*lang-rar*	lang-s.

Pluralis.

N	*lang-ir*	*lang-ar*	löng
A	lang-a	*lang-ar*	löng
D	löng-um	löng-um	löng-um
G	*lang-ra*	*lang-ra*	*lang-ra*

Rhotacismus adjectivi in media ac recentiore teutonica lingua perstitit, sed in recentiore frisiana prorsus evanuit, atque tantum in masculini nominativo singulari in danica lingua reperitur; suecica contra nullum ejus vestigium servat.

Quum participia in omnibus germanicis linguis, norraena dialecto excepta, tanquam adjectiva declinentur, eadem rhotacismi exempla praebent, supervacuumque est de eis privatim disserere; operae autem pretium est de islandico participio pauca dicere. Consonante extrema *s* in omnibus singularis pluralisque casibus praesentis participii excidente rhotacismus non fieri potest; sed in plurali, juxta terminationem *i* trium generum, forma cum *-r* occurrit, atque participium sic declinatur : N.A. *gefend-r*, D. *gefönd-um*, G. *gefand-a*.

Participium autem praeteriti, quum duplicem formam cum *d* et cum *n* nonnunquam habeat, duplici quoque modo declinatur, forma cum *n* pro terminationibus a consonante incipientibus, forma cum *d* pro vocalibus praelata, quae confusio vetustiori linguae ignota erat, in qua participium tanquam adjectivum prorsus declinabatur. His itaque duobus formis mixtis posterius participium verbi *tela* (dicere) ita declinatum fuit.

Singularis.

N	*talið-r*	talið	talit
A	tald-an (talin-n)	tald-a	talit
D	töld-um	talin-ni	töld-u
G	talið-s	*talin-nar*	talið-s

Pluralis.

N	*tald-ir*	*tald-ar*	talin

1. M. Heyne, id. 311.

A	tal-a	*tald-ar*	talin
D	töld-um	töld-um	töld-um
G	talin-na	talin-na	talin-na

In dativo feminino singulari atque in trium generum genitivo plurali rhotacismus, ut videmus [1], non usurpatur.

Comparativus in gothica lingua terminatione *-is* vel *-ōs* (scr. *ja[n]s*), cujus spirans, quum in declinatione media fiat, in *z* vertitur, superlativus autem terminatione *ist* vel *ōst* (gr. -ιστος) formatur. In terminatione *ist* (*ōst*) superlativi, *s* quum *t* sequenti protegatur, in omnibus germanicis linguis immutata perstitit; contra *s* in terminatione *is* (*ōs*) comparativi, in gothica lingua jam in *z* mutata, in caeteris ejusdem familiae idiomatibus in *r* transit, itaque comparativi terminatio *ir* vel *ōr* in vetustiore theotisca saxonicaque, *er* in vetustiore frisiana mediaque theotisca, tantum autem *r*, vocali extrita, in anglosaxonica et norraena dialecto facta est; ut thema *blind-a* (caecus) :

got. blind-ōza v.t. *blind-ōr* n. *blind-r*.

Inter anomalas comparativi formas, quaedam rhotacismi gratia sunt notandae. In gothica lingua comparativi anomali sequentes sunt :

gōd-s (bonus)	bat-iza
ubil-s (malus)	vair-s-iza
leitils (parvus)	minn-iza
et mikil-s (magnus)	ma-iza

in quo ultimo radicis consonans excidit [2].

In vetustiore theotisca dialecto hi comparativi sunt facti :

guot	*pez-iro*
ubil	*wir-s-iro*
luzil	*minn-iro*
mihhil	*mē-ro* (*ma-i-ro*).

In vetustiore saxonica dialecto reperitur *bet-iro* (melior) et *mē-ro* (major), sed in *wirso* (pejor) *r*, vocali *i* rejecta, excidisse videtur ; *luttil* (parvus) nullum cognitum habet comparativum. In vetustiore anglosaxonica dialecto reperitur *bet-er-a* sive *bet-ra* (melior), *mā-ra* (major), sed *r* terminationis in *vyr-s-a* (pejor) atque in *läs-s-a* (minor) effluxit. In vetustiore frisiana lingua invenitur non solum *bet-era* et *ma-ra*, sed etiam *werra* sive *wirra*, quod autem *s* perdidit; *litik* (parvus) quoque comparativum *minn-ira* sive *minn-ra* juxta tamen *les-sa*

1. Grimm, id. II², 936. — M. Heyne, id. 315.
2. Ulfilas, id. 295.

habet. In ejusdem vocabuli superlativo rhotacismus occurrit; *s* radicis enim, quum inter duas vocales esset, in *r* transiit superlativumque ita *ler-est* factum est. In norraena dialecto rhotacismus in *bet-ri* (melior), *ver-ri* (pejor) et *mei-ri* (major) usurpatur; contra in *min-ni* (minor) pro **min-ri*, *r* in *n* per assimilationem transiit, sicut *r* in positivo *litil-l* pro *litil-r* in *l* mutatur [1].

3° *Declinatio numerorum.*

Numeri pauca rhotacismi exempla praebent, quod facile explicabis, si attentius consideraris quam pauci eorum declinentur. In gothica lingua *ains* (unus) sicut fortis adjectivi singularis, *tvai* (duo) et *þreis* (tres), sicut pluralis, declinantur :

N	ain-s	ain-a	ain-(ata)
A	ain-ana	ain-a	ain-(ata)
D	ain-amma	ain-ai	ain-amma
G	ain-is	ain-aizōs	ain-is
N	tvai	tv-ōs	tva
A	tva-ns	tv-ōs	tva
D	tvai-m	tvai-m	tvai-m
G	tvaddj-ē	(tvadd-jō)	(tvaddj-ē)
N	(þ-reis)	(þrij-ōs)	þrija
A	þri-ns	(þrij-ōs)	þrija
D	þri-m	þri-m	þri-m
G	þrij-ē	(þrij-ō)	þrij-ē [2].

In vetustiore theotisca lingua rhotacismus in nominativo masculino atque in genitivo dativoque feminino singulari numeri *ein* (unus) occurrit, qui casus *ein-ēr*, *ein-ērā* et *ein-ēru* sunt. In numeri *zvēnē* (duo) accusativo plurali masculino atque in nominativo accusativoque plurali feminino *s* excidit, itaque rhotacismus in his casibus non invenitur; sed in trium generum genitivo juxta formam *zwei-ō*, quae gothico *tvaddj-ē* respondet, altera *zwei--erō* reperitur, quae e primitiva forma *tva-aizō* orta sit oportet. De *dri* (tres) eadem notanda sunt.

In vetustiore saxonica dialecto numerus *ēn* (unus) in genitivo dativoque feminino singulari *s* in *r* mutat; *tuēna* (duo) autem quum in genitivo solam habeat formam *tuēj-o,* haec mutatio in eo non reperitur; idem de *þria* (tres) dici posse videtur, cujus tamen genitivus incertus est.

Contra in anglosaxonica dialecto non solum in genitivo dati-

1. Heyne, id. 265, 275, 288, 300, 316.
2. Ulfilas, id. 300.

voque feminino vocabuli *ān*, sed etiam in genitivo *tvegra,* juxta quidem *tweg-a,* vocis *twegen* (duo) atque in genitivo *þreo-ra* numeri *þri* (tres) rhotacismus reperitur.

In frisiano sermone eadem mutatio non solum in genitivo dativoque singulari feminino numeri *ēn* (unus), atque in trium generum genitivo vocabulorum *twēnē* (duo) et *þrē* (tres) reperitur, sed etiam apud Frisios occidentales in nominativo *tweer* (duo) occurrere videtur.

Plura rhotacismi exempla notanda norrense idioma ostendit; reperitur quidem tantum in genitivo feminino singulari *ein-ar*, quum in nominativo masculino *ein-n* atque in dativo feminino littera *r* terminationis, vocali praecedenti rejecta, litterae *n* radicis assimiletur. Sed si *ein* solum rhotacismi exemplum praebet, in nominativo masculino *tveir* atque in nominativo accusativoque feminino *tvoer* numeri *tvo* reperitur; contra in genitivo *tweggj-a* non occurrit, qui nullam spirantem extremam, sicut gothica dialectus, habet; sed in dativo juxta formam *tvam*, quae gothico *tvai-m* prorsus respondet, altera *tveimr,* e **tvai-ms* sive **tvai-mis* orta, reperitur. Rhotacismus quoque in *þrīr* (tres), sicut in *tveir*, occurrit, id est in nominativo masculino *þrīr*, in nominativo accusativoque feminino *þriar*, atque in dativo masculino et neutro *þrimr*, e *þri-ms* sive *þri-mis* orto, juxta *þrim*, quam formam femininum solam ostendit. Licet *quatuor* nullum rhotacismi exemplum in caeteris germanicis dialectis ostendat, hanc mutationem in nominativo masculino *fiorir* atque in feminino *fiorar* norrensis lingua usurpat.

Quum ordinales numeri *ēristēr* et *vur-istēr* (primus), *andar* (secundus) in vetustiore theotisca dialecto; *andar* sive *oðar* in vetustiore saxonica, *oðer* in anglosaxonica, *oþer* in vetustiore frisiana, *fyr-st-r* (primus), *annar-r* (secundus) in norraena lingua soli fortem sequantur declinationem, soli etiam rhotacismi exempla ostendunt, quae caeterum eadem ac in adjectivo sunt; quamobrem supervacuum est plura de his dicere.

4° *Pronominum declinatio.*

In gothica lingua primae, secundae et tertiae personae pronomina, quae solam in tribus generibus formam habent, in singulari pluralique atque duali, sic declinantur [2] :

1. Grimm, *Deutsche Grammatik*, II², 680-686. — Heyne, id.
2. Ulfilas, id. 332.

PRIMA PERSONA.

N	ik	veis	vit
A	mik	unsis, uns	ugkis
D	mis	unsis, uns	ugkis
G	meina	unsara	ugkara

SECUNDA PERSONA.

N	þu	jus	(jut)
A	þuk	izvis	igqis
D	þus	izvis	igqis
G	þeina	izvara	igqara

TERTIA PERSONA.

A	sik	sik
D	sis	sis
G	seina	seina

In primae ac secundae personae pronominibus *s* in dativo singularis, in nominativo pluralis sicut in dativo accusativoque dualis et pluralis reperitur; sed quum terminatio pluralis in his duobus casibus excidat, vel ei in accusativo syllaba (*i*)*h* sive (*i*)*ch* = gr. γε substituatur[1], exstant tantum quatuor casus, in quibus rhotacismus fieri potest. Quamobrem in vetustiore ac recentiore theotisca dialecto in dativo singulari *mir, dir*, atque in nominativo plurali *wir*, *ier* sive *ir* reperitur; sed in duali non occurrit. In vetustiore saxonica atque anglosaxonica dialecto, quum consonans extrema in dativo singulari atque in nominativo plurali et tota terminatio in dativo accusativoque plurali excidat, rhotacismus in his sermonibus non invenitur. Idem in frisiana dialecto fit; contra in norraena lingua, in omnibus casibus, in quibus *s* in gothica terminatione usurpabatur, haec consonans in *r* est mutata, exceptis tamen dativo accusativoque plurali in quibus effluxit. Primae ac secundae personae pronomina in hac lingua sic declinantur :

PRIMA PERSONA.

N	ek	*ver*	vit
A	mik	óss	*okk-r*
D	*mer*	óss	*okk-r*
G	mīn	vār	okkar

SECUNDA PERSONA.

N	þū	*er*, *þer*	it
A	þik	*yð-r*	*ykk-r*

1. Schleicher, *Die deutsche Sprache*, 2ª ed. p. 264.

D	*þer*	*yð-r*	*ykk-r*
G	þīn	yðar	ykkar[1].

Quum in danica suecicaque lingua dativus singularis accusativo *mig, dig* assimilatus fuerit, atque nominativus pluralis *r* perdiderit, in primae personae pronomine, quod in his linguis nullum dualem servavit, rhotacismus non reperitur. In secunda autem persona haec mutatio in dativo accusativoque *ēder* etiam occurrere videtur, quae forma tamen forsan e vetustiore genitivo *yðar* mutato orta esse potest[2].

Tertiae personae dativus, qui solus casus *s* in terminatione habet, neque in vetustiore theotisca neque in anglosaxonica vel in frisiana dialecto existit, atque in vetustiore saxonica et recentiore theotisca accusativo assimilatus fuisse videtur, quamobrem rhotacismus in his quatuor linguis non invenitur. Contra in norraena dialecto, *s* extrema, in *r* mutata, in dativo *ser* perstitit. Dativo autem in danica suecicaque lingua accusativo assimilato, omne rhotacismi vestigium in his idiomatibus in tertia persona evanuit.

Tertiae personae pronomen, quod in quoque genere peculiarem formam habet, in gothica dialecto sic declinatur :

	Singularis.			Pluralis.		
N	is	si	ita	eis	(ijōs)	(ija)
A	ina	ija	ita	ins	ijōs	(ija)
D	imma	izai	imma	im	im	im
G	is	izōs	is	izē	izō	izē

In vetustiore theotisca lingua *s* extrema genitivi masculini et neutri perstat, contra *s* genitivi feminini excidit, solaque *s* nominativi masculini singularis in *r* mutatur; nominativus accusativusque pluralis e radice *si* derivati, quum nullam consonantem in terminatione habeant, nullum rhotacismi exemplum in his casibus reperitur; sed in genitivo dativoque feminino atque in genitivo plurali trium generum *s* terminationis, in *z* gothicam jam mutata, in *r* transit. Igitur in hac dialecto pronomen *is, si, ita* sequenti modo declinatur :

	Singularis.			Pluralis.
N	*ir, ër*	siu	iʒ, ëʒ	sie
A	inan	sia	iʒ, ëʒ	sie
D	imu	*iru, irō*	imu	im
G	(ës) sīn	*irā, irō*	is, ës	*irō*

1. Heyne, id. 332-337.
2. Grimm, *Deutsche Grammatik*, II², 705.

Nominativus singularis quum in his dialectis e radice *hi* sine consonante extrema oriatur, genitivus dativusque feminini ac trium generum genitivus soli rhotacismum in vetustiore saxonica, anglosaxonica frisianaque dialecto usurpant. In norraena lingua tantum genitivus femininus singularis *hennar*, — nam pluralis non reperitur, — rhotacismum vere ostendit; in nominativo autem masculino *r* littera litterae *n* in *hann* pro *hanr* assimilata videtur; idem forsan in genitivo feminino *hennar* pro *henrar* atque in dativo *henni* pro *henri* factum est [1].

Adjectiva possessiva, quae in gothica lingua sunt

m. meins	f. meina	n. meinata
þeins	þeina	þeinata
(seins	seina	seinata), etc.

quum fortem adjectivi declinationem sequantur, rhotacismum in vetustiore theotisca dialecto in nominativo masculino, sicut in genitivo dativoque feminino singulari atque in genitivo plurali, in vetustiore saxonica, anglosaxonica atque frisiana dialecto in genitivo dativoque feminino singulari atque in genitivo plurali, tandem in norraena dialecto in iisdem casibus, sicut in nominativo masculino singulari pluralique atque in nominativo accusativoque feminino plurali ostendunt. Attamen in ultima *r* littera litterae *n* in nominativis *min-n*, *þin-n*, *sin-n* pro *min-r*, *þin-r*, *sin-r* assimilata est.

Primae personae pluralis possessivum in vetustiore saxonica, anglosaxonica atque frisiana dialecto *n* perdit, atque ideo fit *usa* v.s., *user* ag.s., *use* v.fr. Juxta autem formam *user* anglosaxonica dialectus *ūre* habet, quod e mutatione litterae *s* in *r* in *user*, *r* extrema dein rejecta, ortum esse videtur. Contra in formis, in quibus terminatio ab *e* incipiens *user* sequitur, quum *e* vocis *user* excidat, *r*, *s* litterae vicina facta, huic assimilatur, — quod *uss* dat, — ut gen. m, *usses*, fem. *usse*, n. *usses* [2].

Adjectiva demonstrativa, sicut tertiae personae pronomen, quum fortem adjectivi declinationem sequantur, rhotacismum in genitivo dativoque feminino singulari, in genitivo trium generum plurali, in omnibus — gothica tamen excepta — germanicis linguis, ac praeterea in nominativo singulari masculino in theotisca dialecto vetustiore ac recentiore, sicut in nominativo masculino et feminino atque in accusativo feminino plurali, in norraena dialecto ostendunt. Contra in danica suecicaque lingua

1. Cf. Heyne, id. 335.
2. Cf. Heyne, id. 337. — Grimm, *Deutsche Grammatik*, II², 705-712.

rhotacismus tantum in genitivo plurali reperitur [1]. Sic autem in norrensi lingua pronomen gothicum *sa*, *sô*, *þata* declinatur:

	Singularis.			Pluralis.		
N	sa	*sŭ*	þat	*þeir*	*þoer*	þau
A	þann	þa	þat	þa	*þoer*	þau
D	þeim	*þeirri*	þvī	þeim	þeim	þeim
G	þess	*þeirrar*	þess	*þeirra*	*þeirra*	*þeirra*

Pronomen interrogativum got. *hvas* pluralem in nulla germanica dialecto habet, peculiaremque formam in feminino tantum in gothica possidet; ad hoc *s* in nominativo singulari masculino in saxonica, anglosaxonica frisianaque dialecto excidit, atque *s* in genitivo semper perstat, rhotacismus ideo tantum in nominativo masculino in theotisca vetustiore ac recentiore atque in norraena dialecto usurpari potuit. Danica autem, sicut suecica lingua, eum non novit.

Adjectiva interrogativa composita teutonica *hvëdarēr*, *hvëdaru*, *hvëdaraʒ*; v. s. *hueđar;* a. s. *hväđer,* forsan quoque v. fr. *hweder*, sicut adjectivum islandicum, quod his respondet, *hvār-r*, *hvār*, *hvār-t* (uter), atque *hver-r*, *hver*, *hver-t* (quis omnium), got. *hvarjis*, *hvarja*, *hvarjata*, quum declinationem adjectivi fortem sequantur, in casibus iisdem rhotacismo utuntur. Idem de got. *hvēleik-s*, *hvēleik-a*, *hvēleikat-a* (qualis), v. t. *hwiolīhhēr* sive *hwëlīhh-ēr*, *-u*, *-aʒ*; v. s. *huilīc*, a. s. *hvilc*, nor. *hvīlīk-r* dici potest. Igitur supervacuum est de eis plura disserere.

Relativa indefinitaque pronomina, quum universa e praecedentibus oriantur atque adjectivi declinationem sequantur debilem, nullum rhotacismi exemplum peculiare ostendunt. Solum est notandum litteram *r* in nominativo masculino singulari norraeni *eingi* (aliquis), v. t. *einiger*, non reperiri; sed Edda juxta *engi* pro *eingi* formam quoque *öng-r* ostendit [2].

5° *Rhotacismus in conjugatione.*

Dum latina conjugatio diversissima et maxime notanda rhotacismi exempla offert, conjugatio germanica contra, formis, in quibus *s* extrema vel media in radice reperitur, exceptis, pauca vel nulla ostendit; quod facile explicabis, si notaveris eam primum nullum passivum vel medium, nisi in gothica et norraena dialecto habere, dein paucis temporibus flexurisque simplicissimis uti.

1. Heyne, id. 340. — Grimm, id. II², 713 et seq.
2. Grimm, id. II², 721. — Heyne, id. 345.

Verbum gothicum sequenti modo conjugatur.

α) *Fortis conjugatio*[1]. — Thema *fin-þa* (reperio).

INDICATIVUS PRAESENS.	CONJUNCTIVUS.
finþ-a	finþ-au
finþ-i-s	finþ-ai-s
finþ-i-þ	finþ-ai
finþ-a-m	finþ-ai-ma
finþ-i-þ	finþ-ai-þ
finþ-a-nd	finþ-aina
PRAETERITUM.	
fanþ	funþ-jau
fans-t	funþ-ei-s
fanþ	funþ-i
funþ-u-m	funþ-ei-ma
funþ-u-þ	funþ-ei-þ
funþ-u-n	funþ-ei-na.

β) *Debilis conjugatio.*— In praesenti eaedem terminationes ac in forti conjugatione prorsus reperiuntur; in praeterito tantum hoc differt, quod secunda persona singularis indicativi in *s* desinat : ut *nas-i-dēs* (servabas). Igitur rhotacismus, ut videmus, in forti conjugatione solum in secunda persona singulari praesentis indicativi conjunctivique et in eadem praeteriti conjunctivi, atque in debili conjugatione in eisdem personis et insuper in secunda persona singulari praeteriti fieri potest; sed quum illa *s* in vetustiore theotisca, saxonica, anglosaxonica frisianaque dialectis perstet, sicut in vetustiore theotisca *s* primae pluralis personae, in his sermonibus nullum in praesentis et praeteriti terminatione exemplum rhotacismi reperitur. Norraena autem lingua excipitur; *s* extrema enim in omnibus personis in *r* transit; praeterea, tertia indicativi praesentis persona secundae assimilata, in ea etiam *r* usurpatur. Sequentia igitur rhotacismi exempla ad summam debilis conjugatio ostendit[2] :

INDICATIVUS PRAESENS.	CONJUNCTIVUS.
tel	tel-i
tel-r	*tel-i-r*
tel-r	tel-i
tel-ju-m	tel-i-m

1. Dualem omitto, qui in caeteris germanicis sermonibus non reperitur; de imperativo quoque atque infinitivo qui *s* in nulla flexione habent, sicut de participio de quo supra agebatur, non loquor.

2. Cf. Heyne, id. 175, 188, 199, 212, 222.

tel-i-ð	tel-i-ð
tel-ja	tel-i

PRAETERITUM.

tal-da	tel-di
tal-dir	*tel-dir*
tal-di	tel-di
töl-du-m	tel-di-m
töl-du-ð	tel-di-ð
töl-du	teldi.

In recentioribus idiomatibus quae e vetustiore theotisca, saxonica, anglosaxonica frisianaque dialecto oriuntur rhotacismus in terminatione non usurpatur; in danica autem suecicaque lingua, flexione in praeterito indicativi subjunctivique atque in praesenti subjunctivi mutata, rhotacismus in his temporibus non reperitur; sed in indicativi praesenti perstitit, quod etiam, prima persona secundae tertiaeque assimilata, in tribus eo utitur, namque sic declinatur : s. jag *tel-jer,* du *tel-jer,* han *tel-jer* [1].

Si fortis debilisve conjugatio germanica paucissima, ut vidimus, in terminatione rhotacismi exempla ostendat, quae etiam in uno sermone occurrunt, contra in verbis fortibus numero syllabarum imparibus plura reperiuntur, in quibus, norraena lingua ac recentiore theotisca exceptis, simul *s* in monosyllabis atque *r* in polysyllabis invenitur, id est *s* in extremis vocabulis perstitit, in mediis autem in *r* transiit. Verbi gothici *kiusan* praeteritum theotisco *kiosan* collatum has mutationes illustrabit.

GOT.		V. THEOT.	
kaus	kus-jan	kōs	*kur-i*
kaus-t	kus-ei-s	*kuri*	*kur-is*
kaus	kus-i	kōs	*kur-i*
kus-um	kus-eima	*kur-umēs*	*kur-īmēs*
kus-uþ	kus-eiþ	*kur-ut*	*kur-īt*
kus-un	kus-ei-na	*kur-un*	*kur-īn*

Item in praeterito participio

kiusans — *koranēr*.

Eodem modo sequentia theotisca verba declinantur :

jesan (fermentescere), jas, *jari*, jas, *jarumēs*, etc. *joranēr*
nësan (servari), nas, *nari*, nas, *nārumēs*, etc. *nëranēr*
liosan (perdere), lōs, *luri*, lōs, *lurumēs*, etc. *loranēr*
rīsan (surgere), reis, *riri*, reis, *rirumēs*, etc. *riranēr*
triosan (cadere), trōs, *truri*, trōs, *trurumēs*, etc. *troranēr*

1. Grimm, *Deutsche Grammatik*, II[2], 917, 921.

vriosan (gelare), vrōs, *vruri*, vrōs, *vrurumēs*, etc. *vroranēr*
wësan (esse), was, *wāri*, was, *wārumēs*, etc. sed wesanēr[1].

In vetustiore etiam saxonica dialecto reperiuntur :
driosan (cadere), drōs, *druri*, drōs, *drurun*, *droran*
kiosan (eligere), kōs, *kuri*, kōs, *kurun*, *koran*,
far-liosan (perdere), -lōs, *-luri*, -lōs, *-lurun*, *loran*,
wësan (esse), was, *wāri*, was, *wārun*, wësan[2].

In anglosaxonica dialecto quoque invenitur :
begréosan (tremere), begréas, *begrure*, begréas, *begruron*, *begruren*
céosan (eligere), ceás, *cure*, ceás, *curon*, *coren*
dreosan (cadere), dreás, *drure*, dreás, *druron*, *droren*
freósan (gelare), freás, *frure*, freás, *fruron*, *froren*
(for)leósan (perdere), -leás, *-lure*, -leás, *-luron*, *-loren*
hreósan (ruere), hreás, *hrure*, hreás, *hruron*, *hroren*
vesan (esse), vas, *voere*, vas, *voeron*, ge-vesen;
quibus verbis jungas oportet substantiva *cyre* (electio), *cora* (qui elegit), *dryre* (casus), *hryre* (casus), *gryre* (tremor) atque adjectivum *dreorig* (tristis)[3].

In frisiana etiam dialecto occurrit :
kiasa (eligere), kās, *kere*, kās, *keron*, *keren*
ur-liasa (perdere), -lūs, *-lere*, -lūs, *-leron*, *-leren*
wesa (esse), was, *wēre*, was, *wēron*, wesen[4].

Tandem in norraena dialecto reperimus :

	friosa (frigere)	fraus	*frurum*	*frōrinn*
juxta	id.	fraus	frusum	frosinn
	kiosa (eligere)	kaus	*kurum*	*korinn*
juxta	id.	kaus	kusum	kusinn
	vera (esse) *var*[5], *vart*,	*var*	*vārum*	*verinn*.

In participio exacto verbi *vesan*, ut videmus, in vetustiore theotisca, saxonica, frisianaque dialecto, sicut in linguis quae ex eis ortae sunt, *s* in *r* non mutata est; contra in norraena dialecto, sicut in danica suecicaque lingua, hoc verbum in participio, tanquam in infinitivo atque in formis praeteriti monosyllabis, *s* litteram in *r* vertit.

1. Grimm, *Deutsche Grammatik*, II², 776 et seq.
2. Grimm, id. II², 807. — Heyne, id. 190.
3. Grimm, *Deutsche Grammatik*, II², 814. — Id. *Geschichte der deutschen Sprache*, I², 218. — Heyne, id. 202.
4. Grimm, *Deutsche Grammatik*, II², 829. — Heyne, id. 215.
5. In priscis monumentis *vas* pro *var* quoque reperitur. — Cf. Grimm, *Deutsche Grammatik*, II², 832. — Wimmer, *Altnord. Grammatik*, 100

In media fere idem ac in vetustiore teutonica lingua rhotacismus exstat ; ut :

jesen (fermentescere), jas, *jaere*, jas, *jāren*, gejesen
kiesen (eligere), kōs, *kür*, kōs, *kurn*, *gekorn*
ver-liesen (perdere), lōs, *lür*, lōs, *lurn*, *lorn*
niesen (sternutare), nōs, *nür*, nōs, *nurn*, *genorn*
vriusen (gelare), vrōs, *vrür*, vrōs, *vrurn*, *gevrorn*
wesen (esse), was, *waere*, was, *wāren*, gewesen

Videtur tamen in praeterito participio verbi *jesen* *s* perstitisse ; sed in indicativo praesenti verbi *verliesen*, *verliure* juxta *verliuse* reperitur, dum quidem in conjunctivi praeterito *verluse* pro *verlüre* usurpatur. In verbis *lesen* (legere), *ge-nesen* (servari) et *rīsen* (decidere) *s* praefertur, quamvis *r* quoque nonnunquam reperiatur ; ut :

lesen { las, laese, las, lasen, gelesen,
las, *laere*, las, *lāren*

genesen { nas, naese, nas, nāsen, generen
nas, *naere*, nas, *nāren*

rīsen { reis, rise, reis, risen, gerisen
reis, *rire*, reis, *rirn*, *geriren*.

Contra *s* semper perstitit in

brīsen (ligare), breis, brise, breis, brisen, gebrisen
kresen (repere), kras, kraese, kras, krāsen, gekresen.

— quod etiam in vetustiore teutonica lingua erat :

chrisan, chras, chrāsi, chras, chrāsumēs, chrisanēr —
et krisen (id.), kreis, krise, kreis, krisen, gekrisen
zeisen (lacerare), zies, ziese, zies, ziesen, gezeisen

atque in blāsen (flare), blies, bliese, blies, bliesen, geblāsen ; sicut in *lösen*, v.teut. lōsjan [1].

In recentiore teutonica dialecto *s* etiam in *zausen* et *blasen* perstat. Contra *s* in *r* mutata est in prima tertiaque persona singulari praeteriti *war*, sicut in infinitivi, indicativi conjunctivique praesenti verborum :

frieren	*fror*	*gefroren*
küren	*kor*	*gekoren*
gären	*gor*	*gegoren*
verlieren	*verlor*	*verloren*.

Verbum *gähren* jam in media teutonica dialecto juxta *jesen*, v.teut. *jësan*, uude derivatur, reperitur ; sed *jesen* evanuit et

1. Fr. Pfeiffer, *Mittelhochdeutsche Grammatik*, 36 et seq. — Grimm, *Geschichte der deutschen Sprache*, 1^{2}, 218.

gähren solum in recentiore lingua mansit. Contra *kiesen*, quod *discernere* significat, juxta *küren* (eligere), itemque (*ge*)*-nesen* (servari) juxta *nähren* (nutrire) perstitit.—Non aliter in vetustiore teutonica dialecto reperitur *trōr* (stilla) et *trūren* (moerere), juxta *trōs* et *triusan*, atque *ēr* (aes) juxta *isarn* (ferrum). — Sed in verbis *lesen* et *genesen* veteres formae, in quibus *r* reperiebatur, derelictae sunt atque *s* in cunctis temporibus et personis usurpatur; sequentique modo haec verba conjugantur :

lesen	las	gelesen
ge-nesen	ge-nas	ge-nesen.

Item in infinitivo *wesen* atque in participiis *wesend* et *gewesen*, sicut in *verwesen* (corrumpi), *s* perstat. Hoc verbum quoque in vetustiore mediaque teutonica dialecto *s* servabat; sic enim conjugabatur :

v.t. farwësan, farwas, farwāsi, farwas, farwasumēs, farwësan
m.t. verwësen, verwas, verwase, verwas, verwasen, verwësen[1].

In vetustiore saxonica lingua *s* etiam perstat in verbis

ginësan (servari)	ginas	gināsun	ginesen

— juxta quidem *ginerian* (servare), —

lësan (legere)	lās	lāsun	lesen
rīsan (decidere)	rēs	risun	risen.

Idem in anglosaxonica dialecto reperitur; sed e diversis verbis quae in hoc idiomate *s* in *r* mutarunt, ut *taesan* (vellicare), v.teut. *zeisan*, r.teut. *zausen*, ang. *tease*, omnia, *forleasan* excepto, gradatim in litterae *r* locum *s* substituerunt. Reperitur adhuc in Layamon *curen* et *icoren*, *iloren*, simul autem *ichosen*, *ilosed*; Orm quoque formas *bifrorenn*, *forrlurenn* et *forrloren* offert. Sed jam in vetustiore anglica lingua *r* in praeterito effluxit, atque tantum in participio perstat, ut : *ycorn*, *lorn*, *ifrore* juxta quidem *frose*. In media anglica dialecto *s* in locum *r* in participiis jam substituitur, ut *chosen*, *lost*, juxta *lorne*. In recentiore autem anglica lingua *r* tantum in participio *forlorn* verbi vetustioris *forliosan* reperitur, ubique in caeteris verbis in *s* vel *z* transiit, ut : *chōse*, *chōsen*; *lōse*, *lost*; *froze*, *frozen*[2]. Attamen *r* in adjectivo *dreary* sive *drear* (tristis) perstitit, atque *s* verbi *risan* (surgere) in *r* transiit in *rear* (tollere), — ang.s. *raeran*.

1. Cf. Grimm, *Geschichte der deutschen Sprache*, I³, 218. — Id. *Deutsche Grammatik*, I², 99 et II², 784. — Westphal, *Grammatik der deutschen Sprache*, 79.

2. Koch, *Historische Grammatik der englischen Sprache*, I, 107. — J. Zupitza, *Altenglisches Uebungsbuch*, passim.

Quod autem notandum est, lingua norraena, quae rhotacismum maxime usurpat, *s* litteram litterae *r* in verbis *friosa* et *kiosa* praefert et tantum illam litteram in sequentibus offert:

ausa (haurire)	jōs	jusum	ausinn
blāsa (spirare)	blēs	blēsum	blōsinn
giosa (eructare)	gaus	gusum	gosinn
hniōsa (sternutare)	hnaus	hnusum	hnosinn
lesa (legere)	las	lāsum	lesinn
rīsa (surgere)	reis	risum	risinn, etc.[1]

Verbi *visan* praesens, quod e radicibus *bi* et *as* oritur, in nonnullis germanicis sermonibus notanda rhotacismi exempla offert. In gothica lingua sequenti modo conjugatur.

INDICATIVUS.	CONJUNCTIVUS.
i-m	si-jau
i-s	si-jai-s
i-st	si-jai
siju-m	si-jai-ma
siju-þ	si-jai-þ
s-i-nd	si-jai-na[2]

S extrema tantum in secunda persona singularis reperitur, nec in mediis vocabulis occurrit; res quum ita sint, rhotacismus in teutonica lingua vetustiore vel media videtur non usurpari posse; duo tamen vel tria exempla reperiuntur. Indicativi enim praesens in his duabus dialectis sic conjugatur:

pi-m	bi-n
pi-s, pi-st	bi-st
i-s, i-st	is-t
pi-ru-mēs	s-īn, *bi-r-n*
pi-rut (*birut*, bint)	s-it, *bi-r-t*
s-int (s-indun)	s-int

Pirumēs et *pirut* formae praeteriti esse videntur, quae e radice *bi* (sc. *bhu*, lat. fu, gr. φυ) ac quadam flexione, e radice *as* orta, derivantur, sensum autem praesentis retinent; atque *pirumēs* cum *πεφύκαμες conferri potest. Attamen terminationes *rumēs* et *καμες non eaedem sunt; sed *rumēs* latinae perfecti terminationi *simus* simile est, quum *rumēs* et *rut* pro *sumēs* et *sut* sint[3].

1. Fr. Pfeiffer, *Altnordisches Lesebuch*, 145 et seq. — Grimm, *Grammatik*, II², 265.
2. Ulfilas, id. 173.
3. R. Westphal, *Vergleichende Grammatik der indogerm. Sprachen.* — A. Schleicher, *Die deutsche Sprache*, 2ª ed. 286, 290. — Wilh. Scherer, *Zur Geschichte der deutschen Sprache*, 208.

Caeterum hae terminationes non verbi *visan* praesenti propriae sunt, in praeterito quoque verborum *grian* (grunire), *scrian* (clamare) et *spian* (sputare) reperiuntur, ut :

grei	*griri*	grei	*grirumēs*	*griranēr*
screi	*scriri*	screi	*scrirumēs*	*scriranēr*
spei	*spiri*	spei	*spirumēs*	*spiranēr*[1]

Eodem modo Jacobus Grimm formas *biruwis* (habitaveris; Ottfried, II, 7, 18), *biruun* (habitaverunt; id. IV, 7, 59), ut praeterita verbi *buan*, got. *bauan*, explicat, quod ideo in hoc tempore formas habuerit oportet sequentes :

biru, *biruwi*, *biru*, *birumēs*, *biruut*, *biruun*[2].

Verbi *wësan* praesens in vetustiore saxonica friesanaque dialecto nihil peculiare offert; sed in anglosaxonico sermone secunda e radice *as* ducta persona *ear-t* notandum rhotacismi exemplum praebet. Dialectus northumbrica quoque in plurali juxta *sindon* sive *sind* formam quoque *aron*, habet, quae e radice *as* oritur; has formas anglica lingua praetulit; indicativi igitur praesens verbi *vesan*, quod in anglosaxonica dialecto erat :

eo-m,	*ear-t*,	is,	s-i-nd(on),	sind,	sind;

atque in northumbrica :

am(eom),	*ar-ð*	is,	*aron*(sindon),	*aron*,	*aron*;

in anglica lingua est factum :

am,	*art*,	is,	*are*,	*are*,	*are*.

Norrensis sermo, qui omnes indicativi praesentis personas ex eadem radice *as*, conjunctivique personas ex *as* sive *vis-ān* derivat, multa quoque rhotacismi exempla in his temporibus, sicut in imperativo participiisque, praebet. Caeterum in hoc sermone verbum *visan*, in *vera* versum, sequenti modo conjugatur:

Indic.	Conjunct.		Imp.	Inf.
		PRAESENS.		
em	sē	*ver-a*		
er-t	*sēr*	*ver-ir*	*ver*	*ver-a*
er	sē	*ver-i*		
er-u-m	sē-m	*ver-im*		Part.
er-u-ð	sē-ð	*ver-ið*	*ver-ið*	
er-u	sē	*ver-i*		*ver-andi*
		PRAETERITUM.		
var		*voer-a*		

1. Schleicher, id. 290.
2. Grimm, *Geschichte der deutschen Sprache*, I², 219. — Graff, *Althochdeutscher Sprachschatz*, II, 556.

var-t	*voer-ir*	Inf.
var	*voer-i*	*varu*
vār-um	*voer-im*	Part.
vār-uđ	*voer-iđ*	*verit*
vār-u	*voer-in* [1]	

Danica suecicaque lingua rhotacismum in omnibus personis fideliter servarunt, in quibus norraenum idioma eum ostendebat, atque etiam eum in prima singularis indicativi praesentis persona usurparunt; quumque subjunctivi praesentis formae, in quibus non occurrebat, derelictae atque aliae in earum locum substitutae fuerint, hoc verbum, ut in suecica lingua, sequenti modo conjugatur :

PRAESENS.

Jag	*är*	*vara*		*var-a*
du	*är*	*var-a*	*var*	
han	*är*	*var-a*		*var-andi*
vi	*är-o*	*var-a*	*var-om*	
J	*är-en*	*var-a*	*var-en*	
de	*är-o*	*var-a*	*var-e*	

PRAETERITUM.

Jag, du, han *var*	*vor-e*	*var-īt*
vi, de *vor-o*	*vor-o*	
J *vor-en*	*vor-en* [2]	

In germanicis sermonibus passivum, excepta forsan gothica lingua, non invenitur, sed in gothica lingua atque in norraena dialecto medium usurpatur; medium autem gothicum, quod solum in praesenti reperitur, sequenti conjugatur modo :

	INDICATIVUS.		OPTATIVUS.
s. 1, 3	nasja-da	1, 3	nasja-i-dau
2	nasja-za	2	nasja-i-zau
pl. 1, 2, 3	nasja-nda	1, 2, 3	nasja-i-ndau

Quum in secunda singularis persona *z* (*s*) inter vocales usurpetur, rhotacismus in norraena dialecto reperiri posset, si medium hujus dialecti e gothico oriretur; sed quum adjunctis verbo pronominalibus flexionibus *mk* (mik), *sk* (sik), *z* (oss), formetur, ut v. *laet-a* (relinquere) :

s. 1 laet-o-mk — Pl. 1 laet-um-z

s. 3 laet-o-sk

nullum in medio norrensi exemplum rhotacismi reperitur [3].

1. Wimmer, *Altnordische Grammatik*, 100.
2. Grimm, *Deutsche Grammatik*, II², 921.
3. Ulfilas, id. 272. — Heyne, id. 233.

Antequam hanc commentationem absolvam, operae pretium est inquirere quo tempore germanicae dialecti *s* in *r* verterint. Quum haec mutatio in gothica lingua non reperitur, inde apparet altera quarti seculi parte *s* in *r* nondum transiisse; attamen usus litterae *z* in gothica lingua in vocabulis quae primum *s* habere debuerunt, substitutioque ulterior litterae *r* in locum *z* in germanicis dialectis mihi indicare videtur hanc transitionem litterae *s* in *z*, id est, primum gradum medium necessariumque mutationis *s* in *r* jam fuisse absolutam, quum haec mutatio contra nondum usurpari coepisset. Vandalica autem atque visigothica nomina *Hōamerdigus* (Hōamizdeigs), *Ordulphus* (Huzdulfs), *Naribardus* (Nasibards), quae septimo seculo occurrunt, eam jam effectam ostendunt [1]. Antiquissima quoque teutonicae linguae monumenta, carmina quippe magica et baptismatis vota a Jacobo Grimm in lucem edita, quaeque quamvis tantum decimo seculo scripta, jam sexto vel septimo composita fuerunt, *s* in *r* versam demonstrant; ut :

era	got. izōs	(ejus)
hira	got. izē	(eorum)
nerjenton	got. nasjandan	(salvatorem) [2]

Non aliter in « Exhortatione ad plebem christianam, » quae octavo seculo scripta fuit, *r* ubique in *s* locum substituta apparet, ut :

ir	got. *jus*	(vos)
dera	got. þizōs	(illius)
ka-leren	got. laisjan	(edocere)
er	got. is	(is)
ur	got. *us*	(ex)
wir	got. *veis*	(nos), etc. [3]

In fragmento carminis de Hildebrando, quod quidem octavo vel nono seculo scriptum fuit, sed certe longe antea canebatur [4], *s* etiam in *r* omnibus in vocabulis mutata reperitur.

Igitur teutonicae dialecti sexto vel septimo seculo *s* mediam in *r* jam vertisse videntur; sonorum autem permutatione, quae *lautverschiebung* dicitur, in eis tum etiam occurrente, conjici ideo

1. Scherer, *Zur Geschichte der deutschen Sprache*, 98.
2. Grimm, *Kleinere Schriften*, II, 12. — W. Wackernagel, *Altdeutsches Lesebuch* (4ª ed.) p. 19 et 20.
3. W. Wackernagel, id. 19 et 20.
4. W. Wackernagel, id. 55.

potest has duas sonorum depravationes eodem tempore in teutonica lingua obtinuisse, aut saltem rhotacismum illa non posteriorem fuisse; — quae conjectura mihi etiam hoc probari videtur, quod, quum *s* ante surdam semper perstet, *z* (*s*) in conjunctione *zd* in *r* non potuisset transire, si *d* in *t* jam mutata fuisset. — Si autem gallicum vocabulum *roseau* (arundo), pr. *rauzel* e germanico *raus* derives, nec ejus originem, quod caeterum parum verisimile est, e celtica lingua ducas, *s* littera, — quae in teutonico *ror* in *r* transiit, — in illa voce servata ostenderet, si quid ex uno exemplo concludi liceat, mutationem *s* litterae in *r* tempore irruptionum Barbarorum, id est quinto seculo, nondum perfectam fuisse; sed quum ea septimo seculo ubique reperitur, seculo igitur praecedenti, id est sexto, oportet ea usurpari coepisse. Non verisimile est in caeteris germanicis dialectis multo recentiorem vel antiquiorem, saltem *s* mediae transitionem in *r* fuisse, quae in gothica lingua, ut supra dixi, jam mutari incipiebat. Contra *s* extrema mutatio potissimum in norraena dialecto tardior fuisse videtur, quum in antiquissimis manuscriptis haec spirans in pronomine *es* (qui) pro *er*, atque in quibusdam personis verbi *vera* (esse), — ut *vas* pro *var* (erat) — adhuc reperiatur[1].

Videtur quoque tempore fere eodem in germanicis dialectis *s* litterae in *r* mutatio desiisse, sicut ea etiam in latina lingua jam non fuit; atque si quaedam vocabula, quae primum *s* servarunt, tempore recenti tandem *r* acceperunt, — ut verbi *sein* praeteritum in teutonica dialecto, — hoc potius analogia factum est quam naturali *s* litterae in *r* mutatione. Etenim post quoddam temporis intervallum non modo rhotacismus non propagatus est, sed etiam aliquot vocabula quae antea *s* in *r* verterunt, posterius *s* primitivam recuperarunt.

1. Grimm, *Geschichte der deutschen Sprache*, I² 219. — Wimmer, *Altnordische Grammatik*, 27, 79, 100.

CONCLUSIO.

Litterae *s* in *r* transitio, quae in germanicis dialectis reperitur, ultima est, quae mihi erat perpendenda. Quam diligentissima hujus mutationis inquisitio, — si sanscritam linguam, in qua ea rarius occurrit, et graecas dialectos, in quibus ea non satis cognita est, excipiam, — mihi sequentia facta ostendit :

1° Rhotacismus tantum in sermonibus invenitur, qui *r* dentalem habent ;

2° Ut *s* in *r* verti possit, necesse esse videtur, ut *s* prius sonora sit vel fiat ; ex quo consequitur, ut, quum ea verborum principalis est, in *r* non mutari possit [1].

3° *S* in *r* jam non transire solet, quum *r* dentalis in lingua exstare desinit, in qua ea verti posse videatur.

4° *S* extrema in osca dialecto semper perstat, in latina lingua quoque tantum propter similitudinem in *r* mutatur, sed in umbrica dialecto atque in germanicis sermonibus saepissime, ut vidimus, in *r* mutatur.

5° In radicibus sicut in flexionibus, in dialectis italicis sicut in germanicis idiomatibus, *s* media ante surdas semper perstat. Perstat quoque ante sonoras, excepta tamen gothica lingua, in qua in *z* vertitur. Post surdas *s* media etiam perstat, sed post sonoras in gothica dialecto, sicut forsan in umbrica, in *z* transit. In caeteris autem italicis atque germanicis dialectis, post sonoras, *r* tremula, cui plerumque assimilatur, excepta, *s* media perstat.

6° Inter vocales in thematibus, in umbrica sicut in osca dia-

1. In vocum principio *s* in teutonica nunc sonora est, sed antea surda fuisse videtur.

lecto, *s* media perstat, in gothica autem in *z* mutatur; in flexionibus, in osca, sicut in gothica dialecto, *s* media quoque in *z* transit; in caeteris italicis, sicut in germanicis sermonibus, quum radicis pars est, nulla lex certa est, e qua *s* mutetur vel perstet; sed in flexione ea semper in *r* vertitur, quasi lingua, ut flexionum materia pro arbitrio utitur, ita in mutandis radicibus minus posset, vel certe quasi lingua, terminationibus eodem tempore ac modo mutatis singulis, singulatim radicibus mutationem adhibere cogeretur, atque nondum in universis *s* in *r* vertere potuisset, antequam haec spirans mutari desineret.

Ex his cernitur quot et quam variae quaestiones de unius soni indagatione agitari possint; mihi pergratum erit, si aliquot ex eis expedire valuero, atque ita hac commentatione grammaticae indoeuropearum linguarum comparativae quaedam nova documenta attulero.

Vidi ac perlegi,

Lutetiae Parisiorum in Sorbona,

a. d. XIV cal. Jan. ann. M DCCC LXXIV,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

PATIN.

Typis mandetur,

Academiae Parisiensis rector,

A. MOURIER.